

DISSERTATIO JURIDICA. DE EXSPECTANTIIS, GERM. Anwartungen.

QVAM
CONSENTIENTE. MAGNIFICO.
JCTORUM. ORDINE.
IN. ELECTORALI. ACADEMIA. BRANDENB.
PRÆSIDE
DN. SAMUELE STRYKIO, J.U.D.
ET. INSTIT. IMPERIAL. PROFESS. ORDINAR.
DN. FAUTORE. ET. PRÆCEPTORE. SUO.
COLENDISSIMO,
AD DIEM AUGUSTI. A. O. R. M. DC. LXX.
IN.
AUGUSTO. JCTORUM. AUDITORIO.
CONSVETIS. HORIS.
ERUDITORUM. DISQVISITIONI.
SISTIT.
Bernhard. Christoph. Jäger. POM.
A. ET R.



Cum Privilegio Sereniss. Elect. Saxon.

V. 1. D. XXV.
Sumptibus CHRISTOPH. ENOCH. Buchta / M.DC.LXXIX.





VIRO
GENEROSO ET MAXIME STRENUO
DN. HERMANNO Wulffrath/
ILLUSTRISSIMI IN POMERANIA REGIMINIS REGII CONSILIARIO GRAVISSIMO, DOMINO IN Lussow/ Schmatzin/ etc.

DN. PATRONO ATQUE AVUNCULO SUO ÆTATEM DEVENERANDO

S. P.

TRahimur omnes blandâ futurorum ſpe, & rerum eventus avide exſpectamus; Pandoræ pixis plurima mala gentibus intulit, nulla ſolamina reliquit, niſi ſpem in margine; Solum hoc ſupereſt in terris Aſylum, hoc unicum miſeris præſidium, ſperare meliora. Peculiarem tamen quilibet appetitum alit, & in ſpem erigitur ætati ſuæ convenientiſſimam; Ætas autem quo vivacior eſt, eo magis

gis ſpe abundat: Scilicet futura & ardua curat eadem, nec abjectæ indolis eſt, ſperare ſemper. In Senes raro cadit, qui magis memoria quam ſpe vivunt: Vitæ ſpatium enim longum iis effluxit, breve in futurum imminet nec magnifice ſperare poterunt, qui ex defectu caloris timidi, timiditatis comitem experiuntur diffidentiam. Adoleſcentum propria laus eſt ſperare: Nam tempus quod reſtat iis longum, quod præteriit parvum eſt; Calor verò nativus & efficaciſſimus, quo movente in arduis ſemper volvunt animum, nec quicquam tam alte naturam locaſſe autumant, quo Virtus non valeat eniti; Adeo difficillima ſæpe ſperant, cum ob experientiæ defectum à ſpe nunquam dejecti, facillima omnia augurentur. Hoc autem affectu non ipſi tantum laborant, longas etiam ſpes & acria deſideria de ipſis alii concipiunt: Sperat quippe Patria, ſperant Parentes, ſpem fovent, quotquot vel ſanguinis vinculum vel neceſſitudinis vis jungit: nec ſvavior ulla harmonia fingitur, quam ubi ſcopum tangunt omnes, omniumque deſideria felix eventus coronat.

De me quid alat Exſpectationis Tua Generoſitas, quid ſpei foveat dulciſſimus Parens meus, ſæpius cogito, & quoties cogito, pudore ſuffundor, quod ſpei veſtræ non niſi vacuam ſpem repono. In ſpe contemplationis Tuarum, Generoſe Domine, Virtutum defixus animus adolevit quidem, ſed hactenus admirandi non imitandi ſpem & materiem reperit; Spes tua monita velut Oracula adimplendi, ſtudiis & laboribus memet addixit, nec non ita pridem in famoſum Marchiæ Parnaſſum compulit, ſed non niſi ſpem germinavit, & triennio fructus præter Exſpectantias nullos tulit. Lernæo more ex ſpe mihi naſcitur ſpes, dum ut ſpei ſatisfaciam, omnia in ſpe propter ſpem ago, nec præmium niſi ſpem ipſam reporto: Longinquam tamen illam magis quam penitus inanem, ne ſpei nomine ſegne velaſſe videar otium. Sumpſi eapropter Exſpectantiarum materiem pro ingenii tenuitate elaborandam, & vivâ voce Excellentiſſi-

lentiſſimi Domini Præſidis aliorumque celeberrimorum Academiæ hujus Anteceſſorum plurima edoctus, ex variis inſuper collegi, queis paucas hasce paginas complevi. Inſcribit easdem Generoſo nomini Tuo Pietas, conſecrat meritorum memoria, dicat Academiæ conſvetudo, quæ ſub compellatione honoratiorum ſchedulis quærit patrocinium, & uni probando ſpes ſuas omnibus probat: Suscipe ergo munuſculum quod tot titulis feciſti Tuum: Suſcipe, quæſo, Tabulas, tenuis rei, ſpei tamen alicujus indices, & puram caſtamque intentionem non meditatum carmen delubris Tuis intuliſſe memet ultro confitere; Quam ſi largis precibus gratiam & Protectionem exoravero, eventu ſpes & optato deſideria mea exitu gaudebunt. Incolumem tantum TE PATRIÆ COLUMEN, Familiæ noſtræ ſplendorem, & unicum laborum meorum præſidium ſoſpitet DEUS, Te Patriæ bono & omnium ſolatio per ſecula ſervet, quod vovet anxie

Devotus Tuæ Generoſitatis

Cultor

Bernh. Chriſtoff Jäger.



CAPUT I.
De Naturâ & Justitiâ Exspectantiarum.

SUMMARIA.

1. *Ingressus ad Exspect.*
2. *Nominis evolutio.*
3. *Etymologia.*
4. *Homonymia.*
5. *Vocis aequipollentia ex moribus & Jure Sax.*
6. *Ex jure Feudali.*
7. *Dd. periphrases remissivè.*
8. *Stylo moderno vocantur Primaria, & cur illud vocabulum postponendum nostro.*
9. *Dd. conceptus de Exspect.*
10. *Julii Clari monitum.*
11. *Schurffii continentia.*
12. *Quid sentiendum de Exspect.*
13. *Fundamentum impugnantium easdem ex jure naturali.*
14. *Ex jure divino morali.*
15. *Ex lege positiva.*
16. *Rationes legis posit.*
17. *Suffragatur Jus Canonicum.*
18. *Votum captandae mortis directum in Exspect. praesertim Civilibus non subest.*
19. *Probatur ex consvetudine & ejus rationabilitate.*
20. *Consuetudinis vis.*
21. *A pacto ad consvetudinem quat. procedat argumentum.*
22. *Pacta successoria Germanis usitata.*
23. *A consvetudine firmari possint.*
24. *Exempla sunt in pactis Confraternitatis, Ganerbinatus & unionis prolium.*
25. *Probatur ex naturae principiis.*
26. *Actiones hominum duplicem sustinent respectum.*
27. *Conventione de successione viventis ex mero jure positivo reprobata.*
28. *Ipsum jus Civile probat, modo consentiat is cui succedendum.*
29. *Militibus & Principi indistincte concedit paciscendi facultatem.*
30. *Quod natura prohibet Lex Civilis non licitum facit.*
31. *Ob mortis captandae occasionem alii hominum actus non irritantur.*
32. *Nec liberi tuto vivis parentibus Domini paternorum bonorum dicerentur.*
33. *In patrios inquirent annos.*

1 Afcimur hac conditione mortales ut iterum denafcamur; Vitæ terminus fatis eft anguftus, annumque centefimum centefimus quisque vix affequitur. Hinc & JCtus longævi hominis metam defignaturus ultra centenarium numerum non progreditur, & amplioribus fpatiis humanam vitam conftitiffe, paucis Praxeos exemplis legimus comprobatum. Certe homini proprium eft Mori, & quicquid ortum habet, occafum exfpectat. Milites excubias agunt per vices & fingulis horis locum Commilitonibus in ftatione faciunt; Haud fecus vitæ ftatione decedunt alii, aliisque hactenus obita munia relinquunt; Saltim divina providentia collationis curam fibi foli fepofuit. Sed hanc negligunt homines, & in DEO fiduciam præfidiumque collocaffe fic ivit in defuetudinem, ut pactis & Exfpectativis fucceffores femet ipfos defignent, & turbato ordine bona muniaque depofcant, quæ poffeffore deftituta & vacua demum ambire debebant. Ufus dicam an abufus Exfpectantiarum feculo moderno invaluit frequentiffimus, nec Principum tantum Curias, fed & fora & ipfas quoque occupavit Ecclefias. Rariora itaque earum Academico hoc exercitio pertractaturus, generalia quædam præmittenda effe duxi, inde diftinctis capitibus ad fpecialiora quoque feceffum
2 facturus. Nomen Expectantiarum barbarum eft, & ufu quidem hactenus obtinuit, Latinâ tamen Civitate, quâ tale, donatum nun-
3 quam fuit. Unde trahat originem in terminis claret; Ab exfpectando enim deducitur refpectu habito ad eum qui accepit & fpe non va-
4 na mortis alterius momentum præftolatur. Ambiguitatis removendæ caufa fciendum tamen, triplici potiffimum intellectu circumferri: primo enim capitur pro nuda promiffione facta follicitanti ab eo qui conferendi poteftatem habet, quæ fignificatio in vulgus nota eft. Secundo pro literis promiffionem confirmantibus, quo fenfu præprimis

primis in Aula Romana frequentatur teste *Joh. Staphyleo Romano, Epi-*
scopo Sibniciens & Ludovico Gomes. Episcopo Sarniens. Tractatibus super
gratiis Exspectativis, & aliis literis Apostolicis. Tertio pro Jure ad rem
promissam per conventionem constituto, quâ significatione uti ma-
gis usitatâ, ita & nobis in subsequentibus convenientissima passim
usurpabitur. Respondet huic voci vernacula nostra Anwartung/An- 5
wartschafft/Angefäll *Struv. Syntagm. Jur. Feud. c. 7. th. 4. n. 1.* Jure Saxo-
nico vocatur Ein Geding Lehnrecht *c. 7. & 57.* à conditione scil. quæ,
in casum mortis alterius instrumento inseritur, & quoniam plerique
pro bene meritis à Principe impetrare soleant promissiones super In-
vestituris, passim appellatur ein Gnaden Lehn. *Hartm. Pistor. lib. 2. quæst.*
25. n. 1. Jure Feudali variis circumscribitur verbis, sic *2. F. 26. §. 2.* di- 6
citur investitura de feudo Militis quod ad Dominum reverti spera-
ratur. *1. F. 3.* Investitura feudi quod post decessum possessoris alius
habere debet. *2. F. 35. vers. ubi vero.* Iuvestitura sub tempore vel con-
ditione quo feudum Domino aperiatur. Queis Dd. periphrases jun- 7
gi fas est veluti *Matth. de Afflict. tit. qui succ. Feud. dar. ten. Berlich. part.*
2. Concl. 54. n. 1, & 2. Godofr. Anton. Disp. Feud. 4. th. 5. lit. B. Struv. synt. Jur.
Feud. supra c. l. aliorumque qui pluribus videri possunt. Communi- 8
ter quoque nuncupari solent Gratiæ, Concessiones, Primaria, quo ul-
timo in Principum curiis hodie nihil fere usitatius; quod tamen eate-
nus nostro vocabulo postponendum meretur, quatenus noviter sal-
tem repertum, & vim & efficaciam, pari felicitate vix exhaurit.
Conf. in plerisque Besold. Thes. Pract. Wehnerum & Speidelium in No-
tabilibus.

Sed ne circa verborum corticem tantum hærere videamur, quid 9
rei subsit, altius inquirendum est; Doctorum conceptus perlustran-
ti, dispari fato mactatas Exspectativas cernere licet, aliis concedenti-
bus, criminantibus aliis hujusmodi concessiones, in tantum quidem,
ut non solum in Ecclesiis & Civilibus officiis has velut improbas spes
penitus damnent, sed & in Feudalibus minimè admittendas suade-
ant. Hinc *Julius Clarus lib. 4. sent. q. 14.* serio Imperatores & Principes 10
monet, quo talem in feudandi morem aulis suis exesse jubeant, ne
iniquitatibus & vitæ alterius insidiandi suppeditetur ansa; & religio-
sus *Schurffius inter consilia Mod. Pist. p. 1. post Con 8. n 8.* ægre coercere 11
pectoris æstus mortales ubi lucrum opimum ex alterius destructione
speratur, proprio docuit exemplo; quare humanæ imbecillitatis in-

tuitu Feuda taliter indulta Principi relicta maluit, quam sibi concessa
12 teste *Matthia Stephani de Jurisd. lib. 3. Part. 1. c. 18. n. 52.* In genere
tamen de his enunciari vix poterit siquidem diversa concurrunt ob-
jecta quæ diversas etiam decisiones requirunt; Itaque distinctim,
quas probandas quas reprobandas putemus exspectantias, videbi-
13 mus. Fundamentum, quo communiter subsistentia certarum im-
pugnatur, in hoc jacet, quod Votum captandæ mortis alant, cujus
improbitas non tantum Naturali, sed & divino Morali & positivo
Jure severe castigata & prohibita. Æquissima enim Juris naturæ Re-
gula est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & quod in suâ ipsius
persona æquum quisq; credit, id quoque in alterius valere non asper-
14 nabitur *l. 1. §. 1. ff. Quod quis juris.* Nemo vero proprium facile optat in-
teritum; Nemo fata sibi precatur celerrima; Hinc & proximi sui
conditionem sequiorem esse non desiderabit. Jure divino Morali
Concupiscentia fortunarum alterius peccatum involvit, & Decalogi
præcepta, Ne vitæ proximi nostri incommodemus aut ægrè facia-
15 mus, haud obscurè injungunt. Quibus lex positiva accedit, quæ
non votum tantummodo sed & improbi voti occasionem præscin-
dere cupiens, pacta de dividenda & communicanda hæreditate vel
bonis adhuc viventis, etiam juramento vallata, ob accessorii natu-
ram *c. Non est obligatorium de R. J. in 6.* invalida judicat, *l. de quæstione
30. C. de Pact.* & nullas dicit conventiones, quæ dispositionem, dona-
tionem, obligationem hypothecæ alicujus viventis bonorum conti-
nent *d. l. 30. in fin.* juncta insimul pæna, ut quisquis contravenire
præsumpserit, acquirat Fisco quicquid ex hæreditate ad ipsum deve-
nerit, eo quod hoc ipso illâ reddatur indignus *l. Papinianus §. 1. 4. ff. de
16 Inoff. test. Ludov. Molina de just & jur. disp. 579. n. 38.* Cujus prohibitio-
nis vis ulterius patescit ex sæpius inculcatis rationibus, quibus inci-
vile reputatur casum adversamque fortunam spectare hominis liberi
l. 83. §. 5. ff. de V. O. l. 1. §. 1. ff. de vulg. & pup. substit. & contra bonos mo-
res sit festinare ad viventis hæreditatem *l. 61. ff. de V. O.* Imo inutiles
esse conventiones vel ideo quod fiant de re quæ in rerum natura non
est, viventis enim nulla est hæreditas *l. 1. ff. de hæred. vel act. vend. §. 1.
Inst. de Inut. stip.* Nec concedi, ut supremæ voluntati cujus liber omni-
no stylus esse debet *l. 1. C. de SS. Eccles.* quomodo libertas testandi
adimatur. *vid. Magnif. Dn. Brunneman. in Comm. Cod. ad sup. alleg. l. 30.
d. Pact. & in Paratit. Wesenb. quæst. 39. ff. eod. Pet. Greg. Tholosanus in
Syntag.*

Syntag. jur. universi lib. 41. c. 4. n. 2. Consentit ex asse Jus Canonicum *cap. detestanda 2. cap ne captandæ 3. de concess. præbendæ in 6.* Atque ex 17
hisce manant argumenta quibus tanto ausu Exspectantiarum concessiones convellere nituntur Autores; Hinc fulmina mittunt in personas seculares, Ecclesiasticas, & omnes quotquot sub tali conditione vel munera exspectant, vel feuda anhelant, vel incerti hominis casum fortunam & dignitatem suam conferunt.

Nos votum, directo tale in Exspectantiis subesse neutiquam 18
asseveramus, receptæ in Civilibus præsertim, per totam Europam stantes consvetudini, eamque & rationabilem & naturæ principiis satis convenientem brevibus evicturi. Consuetudo enim jus est §. 3. 19
& 9. Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ. tantæque efficaciæ ut ex albo nigrum & convertibiliter ex nigro album facere possit *arg. l. 12. §. apud Labeonem ff. de Ædil. Edict.* Consuetudine enim quoties Jure Civili in- 20
firmata firmantur, toties prohibita vim prohibitionis amittunt, siquidem unum jus Civile tollit aliud, & pacto fortior est consuetudo. *Barthol. Musc. de Success. Convent. & Anom. Memb. 1. class. 1. concl. 1. lit. D. & conclus. 3. lit. H.* Hinc à pacto ad Consuetudines argumentum 21
affirmative quidem procedit, ut quod potest fieri per pactum possit etiam fieri per consuetudinem, non vero contra ut quod non possit fieri per pactum consuetudine quoque fieri prohibeatur. *Nicol Everhardi à Middelbourg in loc. arg. leg. loco 120. à pacto ad Legem statutum l. consvet.* testaturque *Heig lib. 1. quæst. 23. num. 12.* Germanorum mori- 22
bus pacta circa successionem anomala adeo invaluisse, ut frustranea sit omnis de iis amplius dubitatio, citante *Musculo all. concl. 3* Quam- 23
vis haud pauci dubitent an consuetudine talia pacta confirmari possint; sed nihil impedire confirmationem receptior est sententia, siquidem pacta talia bonis moribus civilibus tantum contrarientur: Consuetudo vero cum supra Jus Civ. assurgat, merito quoque mores Jure Civili reprobatos in ordinem redigere valebit, sicut eleganter deduxit *Excell. Dn. Præses in Tract. de Success. ab intest. diss. 1. cap. 1. num. 6.*
Invexit illa contra Juris scripti tenorem pacta successoria satis fre- 24
quentata nec mortis tamen votum metuit neque improbitatem saltem præsumit; Potissimum eminent pacta & confœderationes Illustrium personarum, quibus convenitur ut stirpe alterutrius extincta, ad alterum hæreditario jure devolvatur Principatus, de quibus *Carpz. Leg. Reg. Germ. cap. 6. sect. 7. Reinking. de Regim. sec. & Eccles. l. 1. class. 4.*

c.18. Limnæus & alii Juris publici Comment. Succeſſiones ex Ganerbinatu quas integro deſcripſit Tractatu *Jacob Wehrner Kylling. de Gannerbys.* Succeſſio ex pacto unionis prolium & aliæ circa conjuges præſer-
25 tim & tertii hæreditatem cottidie obſervandæ. Jure eodem & ſucceſſoria circa mortis alterius eventum inita pacta ſubſiſtent, cujus rationabilitatem & jam dicta ſuccedendi ratio, & ulterius quod juris
26 naturæ placitis haud repugnent, confirmabunt. Non enim directo naturæ principia infringit de viventis adhuc hæreditate paciſci, ſiquidem duplicem induunt reſpectum actiones hominum aut quatenus legi naturæ conveniunt, ad quam ſtatim natura inclinat, non ſolum tanquam ad primum aliquod principium, verum tanquam ad concluſionem ex eodem principio abſque humano diſcurſu pullulantem: aut quatenus humanis tantum inventis normantur, quæ pro temporum, locorum ac negotiorum varietate humana ratione inve-
27 niuntur & fiunt *Dominic. à Soto de Juſtit. & Jure lib. 1. part. 4 art. 3.* Non vero omnia ſtatim procedunt de lege naturæ, & hanc inter viventes de ſucceſſione celebratam conventionem ex poſitivi juris cautâ ſui temporis circumſpectione reprobatam eſſe apertius eſt, quam ut ex-
28 planatione indigeat. Cui & ipſum Jus Civile robur majus conciliat, dum ſæpius iterata pacta valida pronunciat, modo conſenſus ejus accedat, cui ſuccedere debent, isque in eo perſeveret usque ad fi-
29 nem vitæ *l. ult. C. de Pact. Molina ſup. c. l.* Militibus vero actu militantibus indiſtincte concedat, nec Principes arceat, quorum tamen
30 omnium favor, ſi Naturæ aliquod impedimentum ſubeſſet, ex illicito licitum non faceret, ob perpetuitatem juris Naturæ & mutabilem
31 conditionem legum Civilium. *Soto cit. loc.* Ne dicem ob ſolam mortis captandæ occaſionem actus hominum non reprehendi argumento eſſe Legata, Fideicommiſſa, Mortis cauſſa donationes, omnes denique Inſtitutiones, & ſubſtitutiones, cum idem ſane militet periculum, ne Legatarii, Donatarii & hæredes inſtituentis vitæ
32 inſidias ſtruant *Muſcul. d. Concl. 3. lit. C.* Imo nec liberis tuto Parentum bona aſſignabuntur, quos tamen vivis Parentibus Dominos bonorum paternorum quodammodo voluere jura *§. 2. J. de Hæred. qual.*
33 *& differ. l. 11. ff. de liber & poſth. hæred. inſtit.* Nam & liberi ita Parentum bonis juſto citius inhiabunt, & quo iisdem potiantur in patrios inquirent annos: Exempla quoque non deſunt, ubi reapſe ſcelera tanta à filiis in Parentes patrata, quo ſaltem patrimonio ſuo citius potiantur:

tiantur: Sic venit in ſuſpicionem inſidiarum, Parenti ex hoc capite 34
intentatarum Ao. 1568. Carolus unicus filius ac hæres ampliſſimo-
rum Hiſpaniæ Regnorum, quippe eapropter à Philippo II. Parente
in cuſtodiam datus morte ſeu naturali ſed procurata juſſu patris, ſeu
prorſus violenta periit; & memorabile eſt quod tunc ex Ovidii 1 Me-
tamorph. Opmerius Belga iſthuc traxit:

fILIUs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos

Quo verſu annum 1568 & imputatum Carolo facinus contineri orbis
cum ſtupore deprehendit *vid. Fam. Strad. Decad. 1. lib. 7. pag. 378.
Thuan lib. 43. ad Ann. 1568. Myller ab Ehrenbach Gamol. cap. 23. §. 8. &
16.* Hi vero & ſimiles triſtiores eventus ex accidenti fiunt non ex ipsâ 36
ſucceſſionis ſpe: Vitia ſunt non Exſpectantiarum, ſed perſonarum
quibus exſpectantiæ conceſſæ *Molina tract. 2. Diſp. 358. n. 2. in fin.* ſe-
paranda hæc à re ipsâ, quod ni actum res quam maxime licitas illici-
tas habebimus. Inde matrimonium nemo damnat utut jurgia in-
terdum oriantur, utut homicidia etiam Conjuges inter haud raro pa-
trentur. Nec quidquam ſupra dictæ rationes contra nos aſtruunt; 37
ſiquidem Juris Naturæ præceptum, Quod tibi non vis fieri alteri ne
feceris, vix huc quadrat, dum non eo animo tales promiſſiones ex-
torquentur ut alteri ægrè faciamus, ſed ut in mortalitatis eventum
quem nemo unquam præcavere potuit, alter alterum in munere eo
facilius excipiamus. Nec concupiſcentia fortunarum alterius jure 38
divino morali nos ſtringit; Non enim ſimpliciter in Exſpectantiis
fortuna vel bona alicujus expetuntur, ſed ſub conditione ſi nimirum
fatis alterum ceſſiſſe contigerit; Concupiſcentia autem effectui non
proxima nihil quoque operabitur. Omnia quippe peccata quæ com- 39
mittuntur in proximum, habent rationem mali ex duobus princi-
piis; primo quidem ex deordinatione voluntatis illius qui peccat:
ſecundo ex nocumento quod infertur ei contra quem committitur
peccatum. *Stephan Fagund. Soc. Jeſuita in Decal. Tom. 2. Præcept. 10. c. 2.
n. 13. in med.* Neutrum eſt in Exſpectantia. Nec enim nocumentum 40
proximo inferre deſiderat, nec invito Domino rem alterius concupi-
ſcit, quia in eum conceſſio facta eſt caſum, ubi bona alterius eſſe deſi-
nunt & ad illum revertuntur qui Exſpectantiam concedit; Certe
non hic aliena quâ talia appetuntur, ſed quâ in liberam promittentis
poteſtatem devoluta. Quicquid autem jure poſitivo incivilius & 41
contra bonos mores aſſerant, bonos mores tangit Civiles non Natu-

rales, & quamvis nulla viventis hæreditas. *l.1.ff.de hæred. l.act.vend.* ultimæque voluntatis liberrimum debeat esse arbitrium *l.1. C. de SS. Ecclesiis.* Illa tamen huc imperite & violenter trahuntur, cum in patrimonio censeri non possint munera, adeoque nec hæreditatis vicem sustinere; Ideoque qui tenet officium nec de illo disponere, nec si disponat penes quem conferendi potestas, quod sibi injuria fiat allegare potest; unde simul otiosum infertur quærere de viventis consensu, dum jus quod ad vitam habet tenens, nemini concedere valet, adeoque nec consentire, non enim pro dato habetur quod ab illo datur, qui non potest de jure donare *c. quod autem 5. X. de jur. patron.* Et sic civilibus Exspectantiis suum adstruximus robur.

42 Ecclesiasticæ dubium facessunt, & quamvis fulcris iisdem superstrui posse videantur, quibus Civiles stabilitæ sunt, nec infrequens adeo, aut insolitum moribus hodiernis putetur, per ambitionem & emendicata suffragia nondum vacantem Parochi sedem in S. Ecclesia extorsisse; Specialis tamen ratio & Personarum harum Incompatibilitas diversam suadent inire sententiam.
43 Si enim Simoniam sapiat & grave satis crimen putetur vacua jam Ecclesia licitationibus & precibus semet ingerere, quidni dicendum esset nefas nondum deficiente Ministro locum ejus gratiis quasi jam supplantasse; Ratio prohibitionis inde fluit, quod incorruptæ Vocationis Ecclesiasticæ requisita ante omnia attendenda: Illa sunt (1.) Legitima Ministerii vocatio (2.) Sincera idoneorum præsentatio (3.) Libera Ecclesiæ electio; Cum his vero petitiones & promissiones Exspectativarum directo pugnant, & possessoribus earum non immerito objicitur ignominiosum illud: Currebant & non mittebam eos Ut taceam infelicem, quem publica testimonia loquuntur, successum, dum odio plus quam Vatiniano & ad internecionem usque invicem semet prosequuntur ejusmodi Ministri; Quod quam longe à vitâ S Ordinis inculpata & in sequelam aliis proponenda aberret, tam stupidus nemo est qui non animadvertat.
44 Pertinent huc gravissimæ Juris Canonici Invectivæ, quæ in successionibus & beneficiis fundamenti loco ponunt ut Canonice dentur, quod est secundum præscripta legum pontificalium *c.1. de R.J. n.6.* Non dantur autem Canonice nisi prius vacet beneficium, & qui scienter passi sunt se in vivorum sacerdotum locum poni, ab Ecclesiastica communione pelluntur & deponuntur. *Can. inprimis 2. quæst. 1. & Can. Non furem. 7. qu. 1. Petr. Greg.*

Greg. Tholos. Synt. J. U. l. 17. c. 12. testaturque *Petrus Suavis Polanus (seu vero nomine Paulus Sarpius Venetus) in Historia Concilii Tridentini p. 890.* Episcopũ Conimbricensem in Concilio Tridentino longa oratione contra eas disseruisse, ut quæ ad mortem alterius exoptandam & fortasse procurandam invitent. Cui expresse astipulantur Serenissimi 45
quondam Pomeraniæ Duces in Const. Eccles. Tit. Von ordentlicher Vocation Institution und dimission der Kirchendiener his verè verbis: Noch bey uns denn Landesfürsten oder andern Obrigkeiten keine Vorschreibungen bitten/daß Er die Pfarr ad vitam oder für seine Kinder behalten/ und deroselbigen sein oder ihr Lebelang nicht entsetzet werden solten/denn da solches geschehe/so solte es doch von unwürden seyn/und für untüchtig und unkräfftig geachtet/gehalten und erkandt werden *citante Stephani sup. alleg. loc. num. 30.* De Ecclesiasticarum naturaCanonica- 46
tuum & CommendarumExspectantiæ participant; Sive enim prima Canonicatuum incunabula, sive superstitiosos Papicolas, sive modi usum, ubi pro Ecclesiasticis personis reputantur qui ex bonis Ecclesiasticis personis reputantur qui ex bonis Ecclesiasticis vivunt, spectemus Ecclesiasticis reditibus non immerito quoque annumerantur Canonicatus. Decisio tamen diversa est, quam antequam formemus, præjudicialis excutienda quæstio, Num ipsi Canonica- 47
tus subsistant & salva conscientia haberi queant: Equidem siRomano-Catholicos & tempora consulamus quibus sub densissimâ nocte superstitionum & traditionum humanarum captiva detinebatur maxima Germaniæ pars, res dubio caret, dum Summi Pontificis authoritate omnia gerebantur, nec peccent, qui sub certo horarum Canonicarum penso præbendas percipiant quas in familiæ favorem & emolumentum magnifice erogarunt religiosissimi quondam Majores. Tantùm quid de Reformatis oriente Evangelii luce Canonico-
rum Collegiis statuendum sit, ambiguum est; Exercuit hæc con- 48
troversia celeberrimos Belgii Doctores *Martinum Schookium & Gisbertum Voetium*. quorum ille tranquilla conscientia, Hic vero nequaquam frui posse Canonicatus proventibus modernos Canonicos publicis scriptis invicem asseruerunt. Palmaria negantium fundamen- 49
ta sunt: 1. Male secularibus erogari quod Ecclesiasticis personis & rebus ordinis litantibus saltem tribui volebat pia fundatorum intentio. 2. Sacro nullo ministerio fungi Canonicos, ideoque sacrorum titulos puta Decanorum, Prælatorum, Primiceriorum, Sacristorũ &c. vitiose usur-

uſurpare. 3. Potiſſimum otioſos ventres crepant, quos velut inutilia
50 pondera è Rep. eſſe eliminandos. Verum quod primum attinet,
non Clericis tantum, ſed & ſecularibus proſpectum fuiſſe ſatis evin-
cit jam nota inter Papanos diſtinctio inter Canonicos Regulares &
Seculares *Gudelin. lib. 6. de Jur. nov. cap. 9.* Ipſa enim Origo Canoni-
catuum inſpicienda, unde liquet, Primo quidem S. Auguſtinum in
ſua Eccleſia Hipponenſi inſtituiſſe, qui quaſi Monaſticam vitam du-
centes, Eccleſiæ illi adeſſent precibus publicis inſervientes *Dn. Con-
ring. in Not. ad Lampad p. 3. cap. 11. num. 44.* & ex eo *Burgoldenſis P. 2.*
51 *diſc. 10. memb. 5. in pr.* Carolus M. vero, quo literas & humanitatis
ſtudia felicius propagaret, multa per Germaniam Monaſteria & Col-
legia adornavit, quorum auſpiciis ſub fide Clericorum, Nobilium pu-
52 bes moribus pariter & linguis dextre imbueretur; Ii vero cum ad
certum Canonem vitam ſuam exigere tenentur, Canonicorum
nomen meruerunt, & poſtea etiam Clerici habiti ſunt, par-
tim quod à Clero informarentur, partim quod ſæculo renuntia-
rent, & ipſi quoque fierent Clerici: Qui tamen ne plane Clerico-
rum jugo à Papa ſubderentur, ut ut ſæpius illud urſerit, providerunt,
Illuſtribus perſonis, quæ ad beneficia ſemel admiſſæ erant, jura ſua
53 ſtrenue tutantibus *Schookius lib. de bon. Eccl. Sect. 2. cap. 11.* Exinde
patet in ſubſidium familiarum nobilium bona illa primitus data eſſe,
nec male feciſſe Principes Proteſtantes, quod eadem familiis & bene
54 meritis rite conſervari allaboraverint. Poſito tamen pure Eccleſia-
ſticos Canonicatus, uti multi revera fuerunt, Proteſtantibus ceſſiſſe,
num ſacrilegii reos dixeris, ſi Politicis perſonis eosdem aſſignari fece-
rint, aut has ſine vulnerata conſcientia fructus eorum capere non
55 poſſe, ſi frui datum fuerit? Minime gentium. Principes enim Or-
thodoxi deſtructâ Pontificiâ Tyrannide omnia ſuperſtitionum fo-
menta jure meritoq; deſtruxerunt, Bona Idololatrica, utpote ex opi-
nione meriti cultui in ſe illicito conſecrata, poſtquam Eccleſiis, Scho-
lis & Pauperibus abunde proſpectum eſſet, Fiſco palam addixerunt;
Canonicatus vero & Capitula nonnulla, quo millenis quæ alias obſti-
tiſſent, difficultatibus occurretur, & illi inſuper haberent, quod ur-
gente neceſſitatis telo ſuppetias ferret, mediate ſuis uſibus deſtina-
runt, relictis (abolitis tamen prius ſuperſtitionibus) in ſuo ſtatu Ca-
pitulis, & dignis perſonis conſtitutis, quæ præbendas interim pro
57 adminiſtratione ſibi caperent. Magiſtratus inſuper perſona ſan-
ctiſſi-

ctissima concurrit, cujus non tantum concessio, sed & ordinatio adest
circa res illas, quæ si juri divino contrariæ essent, facile possent prohi-
beri; Nec læsam hic conscientiam agnoscunt ipsi Casuistæ, dum præ-
benda in fructibus consistere, Laicosque eorum optime capaces es-
se tuto asseverant *Tholos. Synt. Jur. Univers. lib. 15. c. 23. n. 8.* Alterum 58
vix stringet efficacius: Nomina enim Decani, Prælati, Primicerii re-
tinentur Historice saltem & ex sensu communi, non cum superstitio-
sis Papatus connexis; Nec plane Sacrorum curam & administratio-
nem exuisse dicentur; qui psallere constitutis horis & preces publicas
DEO fundere cottidie solent, sicut jam olim David Rex, nonnullos
qui id facerent, in sacrum ordinem cooptasse legitur; Qui respectus
durat etiam, licet Vicariis curam omnem commiserint, modo agant
quod debent, i. e. curiosi sint in summâ sacrorum directione & admi-
nistratione, differente ita *Dn. Conring. ad §. 47. sup. cit. loc.* Tertium 59
non est universale, nec tales, quibus juxta *Dn. de Monzambano de Stat.
Imper. Germ. cap. 2. §. 14. pag. mih. 39.* perquam jucundum est opimos
reditus citra ullum laborem per otium posse consumere, per Vicarios
templa clamoribus complere, ut nullus raucedinis metus, nisi ex cra-
pula immineat, patrocinio dignos quisquam reputabit; Quin maxi-
ma potius Canonicorum pars publicis muniis obeundis distinetur,
& pro salute & publica incolumitate quam vigilantissime excubat;
Qui vero vacant a publicis muneribus, in privatis & Capituli com- 60
modum spectantibus industriam suam exercent & in genere, modo
res familiæ bene curent & honesti viri numeros per omnia expleant,
satis utilia terræ pondera omnibus sese commendant. Conf. fusius
hæc ipsa disputantes *Dn. Gisbertum Voetium Doctor. Ultrajectinum in
het Theologische Advys over t' gebruyck van Kerckelycke Gœdern, en van
den Ampt en Staet der Canonicken. & Dn. Martinum Schookium Professo-
rem quondam Groninganum in sup. cit. lib. de Bonis vulgo Ecclesiasticis, i-
tem de Canonicis per integrum.* Antequam accessoria ex Principalibus 61
dilucidemus Exspectantias scil. Canonicatuum ex ipsa Canonicatu-
um legalitate, vicina & eodem præjudicio involuta quæstio brevi-
bus tangenda venit, An nimirum Commendaturæ & Commenda-
tores Ordinis Teutonici Mariani & Divi Johannis in terris Prote-
stantium rite tolerentur, & quoad successionem in officiis illorum
Exspectantias rectè sustineant? Quod Commendatores Ecclesia- 62
sticis personis, eorum item Commendæ Ecclesiasticis bonis sint an-

numerandæ, etiam in locis ubi Protestantium viget religio, egregie
tractavit *Anton. Bullæus cons. 10. Camill. Borellus in summ. Decis. tom. 1.*
63 *tit. 31.* Originem Ordinum per Germaniam referunt talem: Cum
fratres eorum adhuc in Palæstina contra Saracenos bellis distinerentur, bona sua quæ in Germania possidebant ne negligerent, emeritos
è Palestinâ milites miserunt, quorum curæ bona sua commendarent,
inde Commendaturæ dictæ sunt, & qui iis præficiebantur Commendatores, Germ. Commenthureyen & corruptè Comptereyen / Com-
64 pters. Ordinis Mariani Magnus adhuc superest Magister, qui eo
65 nomine in Comitiis adhuc dum apparet. Joannitarum vero Patronus est Serenissimus Elector Brandenburgensis teste *Theat. Europ.
tom. 6. p. 572.* ubi Statuum Deputati ab Electore Serenissimo petierunt
Seine Churfürstl. Durchl. wolte dem Fürstl. Mecklenburgischen Hause *pro aliqua compensatione* die beyde Commenthureyen Mirow und Nemerow als Patronus *quoad recognitionem & præstationem præstandorum*
erblichen überlassen./ Et in templo Sonnenburgensi solennitati creationis Equitum Johannitarum destinato, insigniis Serenifs. & Potentifs. Dn. Electoris inscriptum est: PATRONUS ORDINIS.
vid. plurib. Burgold. Notit. Imp. Rom. Germ. Part. 1. Discurs. 20. §. 13. p.
66 *m 513.* Qui impugnant summopere Canonicorum ordinem majori
conscientiæ tranquillitate fructus Joannitarum percipi posse, quam
eos, qui erogantur Canonicis, existimarunt; quoniam impietatis nihil saperet bello contra infideles semet addicere, ea vero quæ Canoni-
67 cis peragenda sunt plane esse illicita: Verum cessat utrinque officiorum respectus, attentis solis fructibus, utrinque donationes obveniunt ex æquo idololatricæ; Mitius quidem videtur pro conscientiis
bello contra Turcam decertare, quam missas celebrare, sed cum utrumque spe meriti suscipiant Papicolæ, utrumque spurio cultus nomine culpari quoq; merebitur *Schookius sæpe cit. l. sect. 2 c. 22.* Huc ergo
68 recidit quæstionis cardo ex Orthodoxi Principis authoritate, qui salva itidem Joannitarũ Collegia voluit, Cõmendatorem recte accipere,
quæ ipsi assignare Princeps clementissime voluit; Recte itaq. & Exspectantias elargiuntur tam in Commendaturis quam Canonicatibus;
Et quamvis ab utraque parte diversitatis ratio subesse videatur, cum
69 optimo jure quidem subsistere possint Collegia illa, non vero propterea Exspectantiæ præsidii quid accipere; In contrarrium tamen nulla obstat sive Lex sive Consuetudo, qua moveri possimus, injusta esse, quæ toto die sic frequentari videmus. Quod enim opponunt ca-

ptandæ mortis votum, dudum jam est explosum, & nos in antecedentibus quoque eidem aliquomodo satisfecimus. Hinc est quod 70
tanta frequentia creentur Equites, uti non ita pridem Ao scil 1667. mense Majo Illustrissimus Johannes Mauritius Princeps Nassovius ac Vicarius Ducatus Clivensis (qui ipse in Ordinis Johannitici Magistrum Berolini Anno 1652. mense Decemb. à Serenissimo Electore Brandenburgico evectus) septendecim una vice Sonneburgi renuntiavit, non ut simul Commendatores existerent, sed se tandem post alterius fata ordine secuturos exspectarent Hinc tanto numero re- 71
cipiuntur Canonici, quibus tertio nonnunquam successore defuncto præbendis demum frui contingit; Aurem vellicat recentissima, quam nuper videbam Sereniss. Electoris Brandenburgici concessio, qua in Illustrissimo Patriæ Capitulo Caminensi, quod Inst Pacis vi- 72
gore cum Potentissimo Sveciæ Rege, Domino meo Clementissimo, commune habet, post collatum reale beneficium certam simul & incertam Exspectantiam largiebatur his fere verbis: Und wollen wir ihn hiermit in die würckliche perception des von N. gewiesen haben / und nicht allein auff das bishero von N. N. besessenes und nunmehro N. N. beygelegtes beneficium Anwartung verleihen / sondern auch dafern sich ein besseres und mehreres ereugen würde / selbiges hiemit gleicher massen allergnädigst concediret haben rc. Ad hoc forum spectant enim 73
potissimum incertæ Exspectantiæ, de quibus in genere tetigisse sufficiat, illas à nemine hactenus impetitas esse, cum & cesset periculum quod in certis metuendum asserunt, & de incerti Tertii hæreditate, si qua obventura est, pacisci licere pateat ex *l. 3. §. 3. ff pro socio Dn. Brunneman. sup. c. l.* Ex hoc capite etiam Pontificii frequentatas à Sede Romana Gratias & Exspectativas palliant, & quamvis turpe alias & 74
divini plenum animadversione judicii putent, si locum in Ecclesia DEI futuræ successionis exspectatio habeat, quod ipsis quoque gentilibus damnabile fuisse ajunt, *c. 2. X. de Concess. præbend.* Si tamen generalis & incerta sit concessio super loco seu præbenda in hac vel illâ Ecclesia quamprimum vacatura, nihil vitii aut iniquitatis subesse ultro confitentur *Salicet. in l. fin C. de Pact. n* 11 Excusantur hoc modo 75
Primariæ Cæsaris preces, quarum vigore Cæsareæ Majestati jus designandi, nominandi vel præsentandi personam idoneam ac beneficium aliquod primo vacaturum competit, & in genere promissiones omnes, quæ ad certum quidem corpus vel societatem directæ, locum

tamen adhuc incertum continent, ex hoc fundamento interpretationem capiunt, quod quia difficultatis parum habet, nec dilucidatione ulteriori indigebit. *vid. Gail. lib. 2. Obs. 155. n. 7.*

77 Feudales tanto firmius omni tempore subftitisse visæ sunt, quanto majus in statutis & consuetudine fundamentum habent, & naturæ dictamini congruunt & Civilis juris placitis non adversantur. Hinc Dominus feudum sibi nondum apertum in caducitatis eventum alteri recte concedit, So einer der letzte seines Nahmens und Stammes ist/ kan oder mag dessen Lehn von dem Lehnherrn ausgebeten und einem andern die Anwartung vergönnet werden. *Gail. dict. obs. 155. num. 2.* Cardo asserti in Consuetudine & expressa Juris Feudalis dispositione vertitur; Clarus enim Textus 1. *Feud. 3. 2. F. 26. §. Mortbus 2. F. 35. vers. ubi vero.* & oculis incurrens quotidiana Praxis robustiora sunt, quam ut ullum subsistentiæ relinquant dubium. Cui accedit cum natura congruentia, quæ tum ex superioribus petenda, tum dilucidior ex eo jure apparet, quo plenam disponendi facultatem circa res nostras habemus, iis pro arbitrio fruimur, & quosvis alios vel arcere, vel immittere in eas possumus *Puffendorff. Elem. Jurispr. univ. l. 1.*
78 *def. 5. § 2. 3. & 4.* Cujus vestigia ex ipso quoque Jure Civ. legere licet, Feudum enim Ususfructus naturam habet, qui mortuo usufructuario ad Proprietatis Dominum revertitur, ex quo Dominus plenam in re incipit habere potestatem *§. 4. Inst. de Usufr. Gail. d. Obs. 155.*
79 *num. 4.* Sicut E. proprietarius reversum ad se usumfructum alteri recte donat, sic finito usufructu morte ultimi Vasalli, feudum tanquam apertum ad Dominum immediate revolvitur; Quapropter Vasallo non præjudicat, si tanquam proprietarius in eum casum quo extinguitur Ususfructus, jus suum alteri concedat & jure suo utatur,
80 uti ratiocinatur *Gail. alleg. loc.* Quod ipsum tanto magis procedere putamus, quo nulla dispositio reperitur in contrarium; Cessante enim legis prohibitione, de actus invaliditate præsumptio quoq; cessabit; Quicquid enim de improbo mortis desiderio iterum opponant Dd. id expositivi juris subtilitate introductum plane alio perti-
81 net, nec Feudales consvetudines infirmat. Ibi enim cum de re ad se minime spectante, cujus acquirendæ spes dispositione Domini, aut morte ipsorum qui pactum ineunt, interverti posset, & quidem clandestine sive ignorante eo de cujus bonis agitur, inter se paciscantur, non immerito præsumptionem de animi consiliique malignitate ju-

ra fovent; Quod longe ſecus eſt in Conceſſione Exſpectativæ: Hic
enim (1.) nullæ res alienæ, ſed ipſius Domini propriæ quoad directum 82
Dominium, in conventionem veniunt (2) Semel acquiſita ſpes con-
traria diſpoſitione non intervertitur, vel à parte Domini, qui pactis
conventis regulariter ſtabit, aut ſi moriatur, hæredes relinquit obli-
gatos; vel à parte Vaſalli qui nulla vel diſpoſitione vel ultima volun-
tate circa res Domini verſatur. Neque (3) clandeſtina concurrunt 83
conſilia, ſiquidem apertè omnia geruntur, & in ſcientia aut ignoran-
tia Vaſalli nullum quoad actus invaliditatem aut validitatem poſi-
tum momentum; Ne dicam fidem inter Dominum & Vaſallum mu-
tuam abolere quasvis malitioſas conſequentias, nec ſecundo infeu-
datum eo abſurditatis prolapſurum, ut ſpe citius percepturi commo-
di integra commoda perdat & ob feloniam in commiſſum cadere pa-
tiatur; Et quamvis adhuc alienæ mortis deſiderium involvi conten- 84
dant, id tamen non per ſe ſed per accidens contingit, adeoque nec in-
tegræ fidei Vaſallum ſtringet. nec rem ipſam in ſe conſideratam illi-
citam faciet *vid. Dn. Struv. Synt. Jur. Feud. c. 7. th. 5. n. 4. Hartm. Piſt.*
lib. 2. quæſt. 25. per integrum. Veit Ludwig von Seckendorff im Teut-
ſchen Fürſtenſtaat *part. 3. c. 3. pag. mih. 740.* Sic igitur generaliter 85
evictâ Exſpectantiarum juſtitiâ, deſcriptio brevibus ſubjicienda talis:
Quod Exſpectantia ſit conditionalis juris ſuccedēdi conceſſio.
Conceſſio duplicem involvit perſonarum reſpectum, & eos qui confe-
runt & eos qui accipiunt; ut enim quis concedere poſſit, ut etiam
accipiatur neceſſum eſt. Cauſſa verò Impulſiva à parte conceden- 86
dis eſt Clementia, Favor, Inclinatio, Publicum intereſſe; A parte ac-
cipientis bene merita, Importuna Sollicitatio & ſimilia; Hinc exclu-
ditur Electio, Legitima Vocatio, Præſentatio, quæ ex multis unum
dignioremque ad munera & beneficia promovere & initium à parte
conferentis capere ſolent. Hic vero ab accipientibus tela orditur, nec
dignus toties fere, quam indignus voto potitur. Differentia verbis 87
reſiduis inſinuatur; *Juris enim ſuccedendi eſt*, quia alterius Succeſſo-
rem indubitatum Exſpectantem deſignat. Succeſſio autem à lege
dependet; Lex vero ſucceſſionem defert vel immediate ab Inteſta-
to, teſtamentariâ ſc. diſpoſitione deficiente; vel mediate per factum
hominis, idque ex Conventione uti hic, vel ex Teſtamento. *Excell.*
Dn. Præſes Tr. de Succeſſ. Diſp. 1. cap. 1. §. 5. Latius tamen hic ſucceſſio- 88
nis appellationem capimus, quo omnibus Exſpectantiarum ſpecie-

bus applicari possit definitio; Hinc non saltem successionem in bo-
89 na, sed et in officium & reditus alterius personæ hic intelligimus. *Conditionalis* audit, ut excludatur omnis improbitas, & effectum demum habeat altero satis functo. Hinc removetur pura Concessio, quæ mu-
90 nera vel feuda tenentibus præjudicat ob jus quæsitum; Hoc autem sine causa nemini auferri poterit, nec Principi moris est in cujusquam injuriam beneficia tribuere *L. nec Avum 4. C. de Emanc. Lib.* Quibus omnibus pleniorem lucem sequentibus capitibus affundere conabimur; Sit igitur.

CAPUT II.

De Efficiente Exspectantiarum.

SUMMARIA.

1. *Continuatio.*
2. *Methodi ratio.*
3. *Modus constituendi causæ Efficienti melius jungitur quam formæ; Ratio.*
4. *Exsp. Constituitur vel inter vivos vel mortis causa.*
5. *Quia in quavis alienatione notandum.*
6. *Inter vivos quomodo constituantur & an contractus nomen induere possint Exsp.*
7. 8. 9. 10. *Parantur Emptione & venditione.*
11. *Permutatione.*
12. *Stipulatione.*
13. *Conventione sive pacto nudo.*
14. *Ex omni pacto datur Actio.*
15. *An nuda promissione, dubium.*
16. 17. *Promissio habet gradus.*
18. *Acceptatio in promissione Exspect. antecedenter & consequenter est.*
19. 20. 21. *Mortis causa dantur Exsp. per Testamentum & quomodo.*
22. 23. *Exsp. largiuntur, qui liberam habent rerum suarum administrationem.*
24. *Applicatur feudis.*
25. 26. *Non recte arcentur fœminæ ex Legibus Civilibus.*
27. 28. *Sceptri capaces sunt, nec vitia, quibus impediri dicuntur universalia.*
29. *Stupendæ virtutes Reginarum nonnullarum per Europam.*
30. *Proxima Efficiens Exspect.*
31. *Clerici & eorundem appellatio.*
32. *In propriis bonis Exspect. dare non prohibentur.*
33. *Quod expresse deciditur jure feudali.*

34. *In*

34. *In Ecclesiasticis summus est Papa.*
35. *Cum Prælatis omnibus in jurisdictione concurrit.*
36. *Consideratur vel ut feudi Dominus, vel ut* Ecclesiæ *caput.*
37.38. *Applicatur Exspectantiis.*
39.40 41.42. *Quando cœperint incertæ Pontificiorum Exsp.*
43. *Quatuor menses Episcopis indulsit Pontifex ad conferenda beneficia.*
44. *Cumulative tamen non privative.*
45.46. *Quando E. conferat Episcopus in beneficialibus.*
47. *Quando in Feudalibus.*
48 49. *An in Ecclesiasticis bonis sine consensu capituli.*
50. *Quid in Protestantium terris.*
51. *Ibi jura Sacrorum penes Imperantes.*
52. *Facultatem illam habent jure Super Territor.*
53.54. *Remansit tamen Pontifici potestas in locis Evangelicis, ubi Pontificia mansit religio.*
55.56. *An in nostris Ecclesiis Patronus largiatur Exsp.*
57. *Rat. dubit.*
58. *Rat decidendi.*
59. *Jus ipsum separandum ab impedimento extrinseco.*
60. *In incertis Esp. idem.*
61. *Nisi dotatione &c. in pluribus locis Jus Patronatus quis quæsiverit.*
62.63. *Inter laicos summa quævis potestas largitur.*
64. *An Romanorum Imperator Majestatem habeat tractatur remissivè.*
65. *In quibus rebus constituat Exspect. Imperator.*
66. *Alii quoque Reges idem præstant.*
67. *Ut & Principes & Status Imperii.*
68.69. *Quomodo explicandum axioma: Princeps in suo territorio idem potest quod Imperator in toto Imperio.*
70. *Fundamentum omnis alienationis unde arcessendum.*
71.72 73. *Plebeji & Rustici concedere quoque possunt Exsp. dum res suas liberrime alienant.*
74. *Quinam removeantur.*
75. *Tutores & Curatores non admittuntur.*
76.77 *Nec Procuratores & Gubernatores, nisi mandatum habeant cum liberâ.*
78. *Simplex tamen Donatio non probaretur nisi rati habente Domino.*
79 80. *Quinam præterea prohibeantur dare Exsp.*

CUm semper pronior ad ardua pateat aditus remotis obstaculis, 1
iis quæ intricatam reddere videbantur Exspectantiarum materiem præcedenti capite aliquomodo discussis, & faciliorem & feliciorem in ulteriori earum enucleatione nobis viam promittimus Me- 2
thodi·

thodi ratio,(quam vulgarem & tritam, & confusionis & novitatis vitandæ gratia hic sectamur) ut paucissimis de Constitutionis modo præmissis, ipsam Efficientem tangamus, deposcit; Quamvis enim magis ad formam quadrare Constituendi modum putent aliqui
3 *Borch. de Feud. c. 6. Arum. D. Feud. 5.* Efficienti tamen secundum alios commodius jungitur, tum quod hic Exspectantiarum unica forma sit, videlicet Conditionalis, quæ modis istis quasi instrumentis & mediis in materiam introducitur, tum quod concessio non sit forma Exspectantiæ aut juris acquisiti, sed potius causa Efficiens *Ludwell. in Synops. Jur. Feud. c. 5. p. m. 90.*

4 Constituitur ergo vel inter vivos, vel mortis causâ: Utrumque resultat ex noto illo principio. quo homines rerum Domini, ut Dominium aut totum aut ex parte transferre possint, post introductum Dominium juris naturalis est; inesse enim hoc in ipsâ Dominii pleni sc. naturâ asserit *Grotius de J. B. & P. lib. 7. c. 6. n. 1. Puffendorff Elem. Ju-*
5 *rispr. Univers. lib. 1. def. 5. §. 26.* Ut autem duo in quavis alienatione notanda sunt, alterum in dante, alterum in accipiente: In dante sc. non sufficere actum internum voluntatis, sed simul requiri aut verba aut alia signa externa; Vicissim in eo cui res datur, naturaliter requiri voluntatem accipiendi cum suo signo, quæ voluntas ordinarie sequitur dationem, nonnunquam tamen præcedit, si quis quid dari
6 aut concedi sibi petierat *Grot. cit. loc.* Sic hic quoque eadem ipsa concurrunt; Et inter Vivos quidem internum Exspectantias conferendi negotium externe peragitur vel Contractu, eoq; Emptionis, Permutationis. stipulationis. vel nuda Conventione & Promissione. Ipsas Exspectantias Contractus nomine venire posse absonum videbitur; potius variis Contractibus pro arbitrio contrahentium con-
7 stitui, tuto asseruerim: Sic primo Emptione & Venditione argumento à Feudis desumpto parantur, cum certo pretio emuntur vel ab alio Vasallo consensu Domini 1. *F. 20* vel ab ipso Domino *1. F. 24.*
8 Et quamvis fallax fragilique fundamento nixa spes, emptorem non facile repertura videbatur; Communior tamen Praxis in ipsa fragilitate robur quærit, dum tantis impendiis & Canonicatuum & Offi-
9 ciorum Exspectantiæ coemuntur. Imitatur in eo juris Civilis tenorem, quo dupliciter quæ in spe sunt, veneunt; vel sub conditione si quid nascatur. ut pecorum partus, agrorum fructus; quia hi communiter náscuntur, non vero natis, contractus est nullus, ob cessantem

tem rem vendendam; Vel pure, ubi ſola nuda ſpes venditur, ut in captu piſcium & venationis; Jactus enim naturaliter indifferenter 10
ſe habet ad eſſe & non eſſe, ideoque ſive fructum ferat ſive non, conſiſtit Emptio, qui ſola ſpes veniit *l. ſi pactum 12 ff. de Act. Empt. Molin. Tr. 2. de Juſt. & Jur. Diſp. 340. n. 14.* Secundo Permutatione, quando 11
vel Exſpectantia cum alia permutatur, vel reale beneficium ſimpliciter, vel minus pingue pro Exſpectantia pinguiori traditur, quod in feudis vocari ſolet Cambium *2. F. 25. pr.* Tertio ſtipulatione, dum 12
mediante interrogatione & reſponſione conceditur Exſpectativa; cum quâ coincidit nuda conventio, niſi quod diſcrepantiæ ſuperſit illud, ut in hac ceſſet verborum ſolennitas, quæ inibi velut ſubſtantiale requiſitum adeſſe debet *tot. tit. ff. & Inſtit. de V. O.* Nuda itaque 13
conventione moderno tempore magis frequentatâ. Quarto conſtituitur, quando inter duos convenit, ut unus ad perceptionis fructum vel munerum functionem Exſpectativam concedat, isque viciſſim pro hoc beneficio ſtatim ei ſit obſtrictus, maximè vero exiſtente revera conditione; Qui modus alias pacti nudi qualitate effertur: Nam legitimum aſſerere velle, quod legibus expreſſis non eſt introductum, minus videretur conveniens; Efficaciam tamen parem ha- 14
bet, quia ceſſat invaliditas pacti nudi juris Civilis, dum moribus noſtris ex quovis pacto deliberato conſilio inito & legibus non improbato valida naſcitur obligatio *Ludw. Synopſ. Jur. Feud. c. 7. Carpzov. Part. 2. Conſt. 19. d. 17. n. 8.* An ſola promiſſio idem quoque operetur ex 15
Franciſci Conani ſententia dubium aſſerit *Grotius de J. B. & P. lib. 2 c. 11. num. 1.* Is enim hanc defendit ſententiam, jure naturæ ac gentium ea pacta quæ non habent *συνάλλαγμα*, nullam inducere obligationem; Promiſſionem vero in ſolo promittente conſiſtere, & obligatio- 16
nem in promittente quidem producere, in altero vero juris nihil. Sed merito attendendi ſunt promiſſionis gradus & pro illo deponendum qui efficaciſſimus erit: Cum enim ad determinationem voluntatis 17
futuræ accedit volendi ſignum, jus proprium alteri conferendi, perfecta promiſſio eſt, ſimilem & in naturæ & humano foro cum dominii alienatione habens effectum; Et ſic Acceptatio quoque non ex- 18
cluditur, quæ ſicut in omni alienatione neceſſaria eſt, ita in promiſſione Exſpectantiarum nonnunquam antecedenter adeſt & conſequenter; illo modo dum rogatio præceſſit, quæ alias durare intelligitur & vim habere Acceptationis; hoc vero, ſi expreſſe accipiat facta

promissione conditionem. *Sam. Puffendorff. Elem. Jurispr. univ. lib. 1. def. 12. §. 7. 8. 9. 10. 11.*

20 Mortis caussâ danturExspectantiæ perTestamentum vel aliam quandam ultimam voluntatem. Rem enim suam quilibet rectè alienat, non tantum irrevocabiliter sed & revocabiliter, atque etiam retenta interim possessione & plenissimo fruendi jure; Alienatio autem in mortis eventum ante eam revocabilis, retento interim possidendi ac fruendi jure, fit per Testamentum *Grot. d. J. B. & P. lib. 2. c. 6. num. 14.* Hinc si quis moriendi intentione certam seu incertam scribat Exspectantiam sive Testamento sive Codicillis, & voluntas illa morte fuerit confirmata, realis instar est concessionis; quod ut in aliis omnibus, ita in feudis quoque patet exinde, quod feudum ipsum ad se reversum Dominus pure poterit vel legare vel Testamento dare,
21 Ergo Exspectantiam largiri; Quia ita Dominus non disponit de re quoad utile Dominium à Vasallo detenta, qua tali, sed qua Vasalli esse desinit; Hinc non tempus concessæ exspectantiæ, sed existentis conditionis inspiciendum. *arg. l. mea res 98. ff. de Cond. & demonstrat. & l. 41. §. 2. ff. de Legat 1.*

22 Quæ de constitutionis modo adduxisse sufficiat: Quinam vero sint, qui tali tenore exspectantias elargiri soleant, residui in hoc capite laboris erit: Remote ex vulgato Juris principio res decidenda venit, Quod omnes qui liberam habeant rerum suarum administrationem sive Dominium, Exspectantias quoque concedere possint
23 *arg. l. 21. Cod. mandat.* Suæ enim quisque moderator est arbiter, & quicquid in suo quilibet Dominio plene habet, de eo quoque plenissime poterit disponere; Hinc si alius etiam jus habeat in re, vel arbitrium illud a Testatore vel lege ob publicam utilitatem, vel religionis favorem, vel similem caussam aliquomodo sit circumscriptum, uti cessat libertas, ita etiam liberrima dispositio *Dn. Brunneman. in Comm.*
24 *Cod. ad d. l. 21. Mandati.* Quod eodem modo feudis quoque accommodant, ut feuda dare possint, qui legitime bonorum suorum exerceant administrationem, textu feudali expresso *2. F. 3. in pr.* Neque sexus neque generis ratione attentâ: cum Natura omnes homi-
25 nes produxerit æquales *l. 32. ff. de R. J.* Immerito itaque fæminas arcent, qui Civilium legum tenorem stricte sequuntur, ubi à virilibus & publicis officiis remotæ, nec judices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nisi certis casibus, nec pro alio intervenire,

partim

partim quod contra pudicitiam muliebri sexui congruentem judicent virilibus fungi officiis, partim verò quod infirmum & fragile sit muliebre consilium multisque captionibus expositum *l. fin. C. de Recept. arbitru l. 2. ff. d. R. J. pr. l. 12. §. 2. ff. de Judiciis.* Sed perpetua hæc 26
non sunt: Ipsa enim Lex Civilis *alleg. sc. 12* non nisi consvetudinem contra ipsas producit; Quosdam enim inquit natura impediri ne judices sint, ut impuberes furiosi: quia iudicio carent: Quosdam vero moribus, ut fœminæ & servi, non quia non habent judicium, sed quia receptum est ne masculo munere fungantur; Quod E moribus introductum, contrario usu abrogari poterit *c. dilectis X. de arbitr.* Et 27
consuetudo extra locum ubi non est recepta, vires nullas habet. Quas enim sceptri capaces multorum regnorum Praxis, quas feudi habiles ipsa juris feudalis dispositio agnoscit *c. sequitur §. fin. de succ. feud. 1. F. 8. item 2. Feud. 30.* His liberrimum in rebus suis arbitrium, his Exspectantiarum concessionem denegare velle, absurditate vix careret; Vi- 28
tia enim imbecillitatis, iracundiæ &c. communiter taxata, in particularibus saltem militant exemplis, in viris æque ac mulieribus occurrentia: Germani certe ipsis Viris antetulerunt fæminas, sanctum aliquid ac providum iis inesse rati *Tacit. de morib. Germ. l. 8.* Nostrâ- 29
que ætate stupendæ virtutes Reginarum, Serenissimæ Christinæ in Svedia, Isabellæ in Castilia, Mariæ ac Elisabethæ in Anglia, Mariæ in Scotia etiamnum observantur, quæ evidenti documento virilibus curis fæminarum vitia exuerunt *Tacit. 6 Annal. cap. 25.*

Proximam efficientem ex substratis materiis æstimabimus quæ 30
cum duplex potissimum nobis sese offerat, Ecclesiastica & Secularis, in hac Laicos in illâ vero Clericos breviter enodabimus. Clericorum appellatione generalis ordinum conclusio continetur; Hac enim o- 31
mnium ordinum Ecclesiasticorum personæ late sumptâ significatione veniunt, prout se differunt à populo qui Laici nomine insigniuntur. *Petr. Greg. Tholos. Syntag. Jur. Un. lib. 2. c. 1. num. 5.* Hi Togæ Ec- 32
clesiasticæ assutam nonnunquam habent secularem, adeoque duplicia bona possident, Propria & Ecclesiæ solum dicata; In propriis Laicis æquiparantur, ideoque pro arbitrio suo uti feudum in illis concedere possunt *C. Clerico F 35.* ita & Exspectantias dare non prohibentur, cum quilibet rerum suarum sit moderator & arbiter *d. l. in re man-*

33 *data 21. C. mandat.* imo quoad Exſpectantias expreſſe deciditur, Quod ſi de ſuo alteri conceſſo feudo fecerit inveſtituram Clericus, ſiquidem pure, non valeat, ſed ſi ſub tempore vel conditione quo feudum ſibi aperiatur, procedat inveſtitura etiam ſine Vaſalli conſenſu facta *d. C. Clerico*; In Eccleſiaſticis autem niſi mos aut conſuetudo aliter ferat, plerumque ſuſpenſa eſt poteſtas Clericorum inferiorum *arg. c. quia 1.*
34 *F. 1.* Eminet enim inter illos Papa Eccleſiæ univerſalis ex Pontificiorum hypotheſi caput & Monarcha, qui non ſuæ tantum Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ, ſed omnium omnino Eccleſiarum, ex hypotheſi Pontificiorum, bona alteri in feudum concedit, & per conſequens etiam Exſpectantias largitur, *arg. c. 2. verſ. præter hæc de ſent. & re jud.*
35 *in 6.* Cum Prælatis enim omnibus in jurisdictione & poteſtate concurrit *c. 10. 13. & 17. cauſ. 9. qu. 3.* & tanquam Dominus omnium in Eccleſiaſticis plenariam diſpoſitionem habet *c. 2. d. prebend. in 6.* quod tamen in rebus magni valoris ſine conſenſu Cardinalium non proce-
36 dere ex aliis putat *Ludwel. Synopſ. jur. Feud. c. 5. p. 99.* Confert E. Exſpectantias Pontifex vel ut Feudi Dominus, vel ut Eccleſiæ caput. Priori modo certas ſimul & incertas Exſpectantias largitur, more
37 aliorum Dominorum feuda conſtituentium; Poſteriori vero ſubdiſtinguendum inter Eccleſiæ bona, & beneficia ſive functiones Eccleſiaſticas; In illis utpote à rebus ſacris ſeparatis, & in Patrimonio vel Dominio Eccleſiæ ſive monaſterii conſiſtentibus, quia alienari & in feudum dari poſſunt *Struv. Synt. jur. Feud. c. 6. th. 4.* etiam feudorum more Exſpectantias concedere valere Pontificem, extra dubium po-
38 nimus. In Beneficiis vero ſive functionibus Eccleſiaſticis ſecus eſt, ibi enim incertarum uſus hactenus tantùm obtinuit per rationem ſuperius jam inſinuatam, quia turpe & divini plenum animadverſione judicii eſt, ſi locum in Eccleſia DEI futuræ ſucceſſionis Exſpectatio habeat *c. 2. X. de Conceſſ. præb.* Hæc enim in certis ſolum militat, ſicuti præced. capite pluribus deduximus.

39 Quando vero cœperint incertæ hæ Pontificum Exſpectativæ, operoſe inquirunt Pontificii Dd. Plerique in annum 1150. conſentiunt, exinde, quod in Gratiani decreto tunc temporis compilato, Gratiarum mentio nulla fiat, & veteres Pontifices non tantum nullas gratias, ſed quod magis mirandum, gratias de Vacantibus raro &
40 cum difficultate conceſſerint; Abſoluta enim Epiſcopis in ſuis Epiſcopatibꝰ attributa fuit poteſtas, ob quam nihil præſcribere Epiſcopis

Pontifici integrum erat. Qui tamen parce ſubſequentibus tempori-
bus elargiti ſunt, quod raro aut nunquam antea concedebant, usque 41
dum latius indies ſerpens conſvetudo in tantum poſtmodum ſuc-
crevit, ut Regulæ Pontificum nihil aliud quam Exſpectativarum Or-
dinationes continerent; Grandi quidem Epiſcoporum præjudicio:
Sed cum ejus ſit deſtruere cujus eſt condere, & nemini faciat inju-
riam qui ſuo jure utatur *c. cum Eccleſia de Electhon.* Solus autem Pon- 42
tifex in plenitudinem poteſtatis, in partem ſollicitudinis Epiſcopi
ſaltem vocati ſint, Poteſtatis ejus plenitudinem reverenter quoque
coluerunt, & illum non tantum Eccleſiam aliquam Cathedralem col-
latione privare & à poteſtate Epiſcopali totaliter eximere, ſed etiam
collationem omnium beneficiorum Orbis legitime ſibi reſervare po-
tuiſſe, unanimiter aſſeruerunt. Non tamen conceſſa ſemper pote- 43
ſtate uti voluerunt Pontifices, ſed jura ſua cum Epiſcopis ſatis urba-
ne partiti, conceſſerunt iis per ſacras Cancellariæ Regulas quatuor
menſes à die datæ Exſpectativæ connumerandos Martium ſc. Ju-
nium, Septemb. & Decembrem, ut in iis conferrent beneficia & reli-
quos 8. Menſes ſibi ſalvos præſtarent; Conceſſionem inſuper non 44
privativam, ſed accumulativam intelligentes, ut in iis quoque men-
ſibus jus habeant præventionis, ſive ipſi, ſive qui eorum vices gerunt,
Legati beneficia conferre velint *Lud. Gomeſ. Tract. de Grat. & Exſp.
num. 12, & ſeqq.* Inde jam pariter reſultat, quâ ratione Epiſcopus in 45
beneficialibus ſeu Canonicatibus ſuæ Diœceſeos Exſpectantias recte
largiatur: Menſibus ſcilicet antedictis 4. à Papa non præventus,
conferendi facultatem nemine contradicente habet; In reſiduis 8. ſi-
ve Apoſtolicis juris nihil niſi quando beneficia vacantia in Curia non
confert Papa in menſem à die vacationis numerandum *c. ſtatutum de
præbend. in 6.* In eo enim melioris conditionis Ordinarii ſunt quam 46
Pontifex, ut tunc illi conferant ad quos collatio pertinet; licet ille
textus locum non inveniat, quando etiam poſt menſem ſibi collatio-
nem reſervaſſet, uti fecit Bonifacius per *Extravag. ſuam quæ incipit:
Piæ ſollicitudinis. Gomeſ. cit. loc. num. 21.* In Feudalibus vero ſi propria 47
fuerint, pleniſſimum habet arbitrium Epiſcopus; Sin Eccleſiaſtica,
& mos Eccleſiæ ferat; ut Prælati feuda concedant, Exſpectantiæ feu-
dorum conceſſionem ſequuntur. Sed an ſine conſenſu Capituli ſub-
ſiſtant, quæſtionis eſt? Communiter formant diſtinctionem inter 48
res Eccleſiæ infeudari ſolitas, & non ſolitas: In his uti plane non va-

let infeudatio *§. 8. Inst. de rer. divis. Schrad. de Feud. p. 4 c. 2. n. 12.* ita nec Exspectativa. In illis vero, cum Prælatus feudum ad se reversum libere, id est alio etiam inscio & invito in feudum concedere possit,dum nullum sentit præjudicium Ecclesia, quia infeudatio rerum
49 infeudari solitarum non est nova alienatio, sed potius primæ, quæ cum consensu capituli facta præsumitur, continuatio & Executio *Ludw. Synop. Feud. c. 5. p. 101.* Hinc si Exspectativas hujusmodi feudorum emittat Episcopus, Capituli consensum implorare neutiquam habebit necesse.

50 Verum hæc ipsa Pontificiæ jurisdictionis Ecclesias tantùm stringere videbuntur, In Protestantium enim terris suspensa per Religionis Pacem Episcoporum potestate Reiches Absch. zu Augspurg 1555. §. damit auch obberührte. *Laur.* Ohm *de Jur. Episc. concl. 20 lit. C.* & Episcopali cum territorii jure iterum combinato *art. 5. §. 9. circa medium Inst. Pac. Osnab.* Dispositionem Pontificiorum quoque cessare nemini dubium est. Hæc quippe Evangelicis ex jure divino & gen-
51 tium humano sententia stat; jure potestatis seu magistratus superioris; Imperantium esse curam sacrorum, ipsis per Pontificiæ arrogantiæ ausus ademptam olim & in Episcopos translatam. *JCtissimus Dn. Mevius Part. 3. Dec. 415. p. 634. num 8. Lampadius de Rep. Romano Germ.*
52 *Part. 3. cap. 11. num. 4. 5. & 6. Conringius in not. ad Lampad. d. §. 6.* Dum itaque rediviva est eorum potestas, hanc ipsi facultatem jure Superioritatis territorialis habent, quam Pontifex alias sibi in eorum territoriis vindicare satagit; Cum potestate revixit illud axioma: Cujus est Regio, ejus quoque de Religione dispositio, vel, uti Germani efferunt: Ein ieder Fürst ist Bapst in seinem Lande / veritate fere universali, nisi in quantum pactis aut Ordinum conventis decessit; Hinc
53 quæ probato restitutionis termino Ao. 1624 d. 1. Januarii Pontificiæ Religionis in Protestantium territoriis floruerunt Collegia, & Instrumenti Pacis vigore adhuc dum durant; vel ubi alternative, modo Catholicus modo Evangelicus Episcopus gubernat, ut in Episcopatu Osnabrugensi ex linea Ducum Brunovicensium & Lyne-
54 burgensium, aut cujus Sacrorum liberum relictum, ut Episcopatui Lubecensi, quin pro modo administrationis maxima vel aliqua nonnunquam Episcoporum & Pontificis remanserit potestas, nemo facile ambiget *Burgold. ad Instr. Pac. art. 5 §. 3. 4. & seqq.* Saltim hic
55 an Patronus (quem respectu causæ potissimum, non verò personæ

Cleri-

Clericis annumeramus, cum & Jure Can. Laicis officium eorum indultum *c quoniam 3. X. de Jur. Pat.* & ab Impp. approbatum *Nov. 57. c. 2.*) in Nostratium Ecclesiis Exspectantias recte conferat inquirendum; Certum enim est, hodie quoque privatis ex Principis appro- 56
batione & conniventia jus Patronus competere, in recompensationem meriti scil. quo Ecclesia per fundationem, constructionem & dotationem Patronis obligatur *Nov. 123. c. 18. pr. Carpz. Jurisp. Eccles. lib. 1. tit. 2. def 13. n. 7.* Asserendi ratio speciosa videbitur, quod illi, cui 57
nominatio certæ personæ in suggestu cum jure vocandi competat, Exspectantiarum concessio quoque non sit deneganda, præsertim cum in præsentatione non facile repellatur, in quem Ecclesia & Patronus unanimiter consenserunt; Negationis tamen fundamentum 58
præced. cap. jam insinuatum est, tum ex jure Can & Ecclesiasticæ vocationis requisitis, quæ detestabile judicant in vivorum sacerdotum locum poni *c. qui in vivorum X. de concess. præb.* tum ex integritate personarum Ecclesiasticarum in quibus & minima suspicio ad vitandum scandalum cessare debet, ut sic nondum vacante ministerio, nequaquam alius sit præsentandus, nec jus Patronatus exercendum *Sigismund. Finckelthus. d. Jur. Pat. c. 6. num. 127. Carpz. Jurisp. Consist. l. 1. tit. 2. def. 16.* Separandum tamen putamus Jus ipsum ab impedi- 59
mento extrinsecus adveniente, jus enim ipsum conferendi Exsp. Patrono manet salvum quod inde patet, quia alias nullatenus concedere posset Exsp. cum tamen casu necessitatis emergente in substituto ultro hoc admittant Dd. uti seq. cap plur. videbimus; Impedimen- 60
tum vero ex jure saltem & debita sacrarum personarum integritate caussatur, quo cessante, ipsam quoque Dispositionem cessare, necessum est In incertis Exsp idem: Licet enim alias certis justius e- 61
largiantur, cum tamen jus Patronatus communiter ad certam restringatur Ecclesiam, cui Pastor & verbi minister est præficiendus *Carpz d l. defin. 19* Ibi vero incerta statim certioraretur, dum ad illam Ecclesiam unicam semper maneret respectus, & hasce Patrono denegari verius est; nisi tamen eum casum excipias, quo dotatione, vel alio modo in pluribus locis jus hoc quæsivit, sic enim ex pluribus Ecclesiis, quæ prius vacua futura est, interpretationem Exspectativa recipiet.

Satis jam de Clericis: Laicos nunc ordine lustrabimus, eousq; vel 62
cum superioritatis jure, vel sine illo. Eminentissimâ superioritate fulget

get ſumma quævis poteſtas, nulli alii præterquam DEO opt. Max. ſubjecta, quæque alio nomine Majeſtas appellatur *Sutholt. Diſſert. de*
63 *Jurisdict. aphor. 20.* Simpliciter enim hæc convertuntur, Majeſtatem habere, ſummam poteſtatem, ſuperiorem non recognoſcere; Quo fit ut omnis Regulus, omnis Reſp quæ alii non eſt ſubjecta, propriiſ-
64 ſime loquendo Majeſtatem habeat & jura eidem annexa. ROMANORUM IMPERATOR an eadem polleat, in præſens non disquiro; Videri poſſunt de hoc argumento moderni Publiciſtæ, & inprimis *Burgold. in Not. Imp. Rom. Germ. Part. 1. Diſc. 10. per integrum.* Secundum Baldum, cum totius mundi Dominus ſit *in cap. hoc Edictali. num. 1. de pac. tenenda.* (quod tamen ad partes Orbis ſibi ſubjectas & Domini-
65 um jurisdictionis ſaltem reſtringitur *Sutholt. d. l. aph. 74. & ſq.*) Exſp. quoque pro arbitrio ſuo quin dare poſſit, extra dubium eſt; In rebus quidem propriis & patrimonialibus ex ipſo naturæ dictamine, in ipſius verò Imperii bonis vigore poteſtatis per electionem ſibi competentis; ſed quatenus Imperii bona diſpoſitioni Imperatoris ſubjaceant, ſequendi cap. diſſerendi, commodior dabitur anſa, ideoque non
66 anticipabimus. Vi ejusdem potentiæ, Sacratiſſima capita, Sereniſſimi Svediæ, Hiſpaniæ, Galliæ & Angliæ Reges in ſuis regnis disponunt, jure quidem eo pleniori, quo minus Capitulationibus aut Legibus fundamentalibus arbitrium eorum eſt reſtrictum.
67 Eminenti ſuperioritate PRINCIPES & omnes Imperii Status gaudent; De his enim notum eſt vulgatum illud: Quemlibet Principem in ſuo territorio ſuo tantum poſſe, quantum Imperatorem in univerſo Imperio; quod Rudolphus de Schulenburg reddit: Ein ieder Fürſt
68 iſt Keyſer in ſeinem Lande; explicatione ſc. negativa, quod non minus Princeps poſſit in ſuo territorio, quam Imperator in univerſo Imperio; Alias enim debilitate non deſtitueretur potentia cum Imperator abſoluti juris in Imperio fere nihil habeat, Principes vero jus ferendarum legum, ineundorum fœderum, &c. pleniſſime uſurpent *art. 8. §.*
69 *Gaudeant Inſt. Pac. Cæſ. Svec.* Sicut & ipſe Imperator non qua talis, ſed quatenus Archidux Auſtriæ liberrime ſemper diſponit *vid. Pacif. à*
70 *Lapide in not. & ſtrict. ad Monzambanum cap. 2. Diſc. 9. §. 3.* Virtute ergò illa Superioritatis ſeu jurisdictionis Univerſalis, quam quisque Principum atque Statuum in ſuo territorio, & ex eo fundatum jus generale in omnia quæ ipſius ſunt, habet *arg. l. 1. § cum urbem ff. de off.*

Præf.

Præf. urb. exiſtit quoque generale fundamentum poteſtatis & jurisdictionis tam in Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, tam in pura alienatione quam in conditionali ſive Exſpectantiis *JCtiſſimus Dn. Mevius Part. 2. Dec. 305. num. 9. pag. 429.* Sine ſuperioritate Exſp. conce- 71
dunt infra Principum & Statuum ſortem depreſſi, ſive nobilitate & dignitate aliquâ gaudeant, ſive omnino nullâ, veluti plebeji omnes & ruſtici; Quod ultimum licet dubium videatur, tamen ob rationis 72
generalitatem, qua quilibet rerum ſuarum arbiter eſt *l. 21. C. mandat.* nec plebejo denegandum erit; Hi enim ob illimitatam rerum propriarum adminiſtrationem etiam Feuda concedere poſſunt *2. F. 3.* Quod ergo, arg. à contrario Regulæ ſenſu, non prohibitum eſt in termino, multo minus prohibitum cenſebitur in viâ; Alienatio enim 73
ſuæ rei cuilibet permiſſa, & quacunque ratione ad illam deveniatur, parum referet, alienantisque concluſum manebit arbitrio; Modo tamen habiles termini ſemper præſupponantur, nam neque ruſticis, neque aliis privatis ultra ſuæ poteſtatis terminos impune vagari licet *arg. l. 20. ff. de Jurisdict.*

Dum itaque immoti principii loco in Exſp concesſione & re- 74
rum Dominium, & adminiſtrationis libertatem ſæpius præſuppoſuimus, tandem inde fluit, qui Domini non ſunt, nec bonorum ſuorum diſpoſitionem habent, Exſp quoque conferre non valere. Hinc 75
primo loco removentur Tutores & Curatores, quorum illi primario perſonæ, ſecundario vero rebus dantur; hi verò rebus tantum concedi ſolent *§. 4. Inſt. qui Teſt. tut. dari poſſint.* Quoniam enim ad tuendum eum conſtituti ſint, qui propter ætatem ſponte ſe defendere nequit *l. 1 ff. de Tutelis.* Non autem tueantur, ſi bona pupilli vel minoris alienare ſatagant, ſequitur in Exſpectantiarum conceſſione arbitrium eorum plane eſſe ſuſpenſum Arcentur eodem modo Pro- 76
curatores, Gubernatores, & Vicarii hodie, mandato Domini aliena negotia adminiſtrantes *l. 1. ff. de Procur. & Defenſor.* ubi tamen diſtinctione opus eſt: Aut enim generale mandatum habent, aut Mandatum cum liberâ; ſi prius, Exſp. non concedunt, recte tamen ſi poſterius. Nam ille, qui tantum generale mandatum habet, res aliena- 77
re non poteſt *l. 63. ff. d. t.* Nec tranſigere *l. 60. ff. eod.* Sed hic tamen poteſt, & qui mandatum generale cum libera habet, ex diſpoſitione Juris Canonici ea quoque expedit, quæ ſpeciale mandatum requirunt *Magnif Dn. Brunnem. in noviſſ. Comm. ad L. Procur. 58. ff. de Proc.*

& *Defens.* Modo tamen & hic evidens Domini utilitas concurrat simplex enim Donatio vix permitteretur dum administratio, non verò donatio aut venditio rerum est concessa *l. 3. ff. de acceptilat.* aut si facta quidem simpliciter, rati habente tamen postmodum Domino; ratihabitio enim mandato æquiparatur *l. 60. ff. de R. J. c. 10. d. R. J. in 6. Ludw. d.c.5.num.93.* Deinde nec admittuntur qui rerum suarum quidem Domini sunt, ob caussam tamen administratione interdicuntur, quæ vel contingit in ætate, ut Minoris & Pupilli *pr. Inst. Quib. mod. tut. fin.* vel in morbo, sive animi sive corporis, ut furiosi, mente capti, surdi & muti naturâ. *§. 3. & 4. Inst. de Curator.* vel rat potestatis, ut filii in sacris paternis adhuc constituti quoad peculium & profectitium & adventitium *tot. tit. Inst. Per quas pers. cuiq. adquir.* vel alio quovis modo, qui omnes durantibus hujusmodi impedimentis, quamdiu carent arbitrio, tamdiu quoque Exspectantiarum concessione.

CAPUT III.

De Materiali Exspectantiarum.

SUMMARIA.

1. & 2. *Objectum Exsp.*
3. *Quid vacare.*
4 5. *Quotupliciter vacent beneficia.*
6. *Futura vacantia in duas dispescitur classes.*
7 8 9. 10. *Inter res Ecclesiasticas Papatus Exspp. capax non est.*
11. *Quid impedemento sit.*
12. *Exemplum Clementis Papæ ob spuriam institutionem semetipsum abdicantis Papatu, & postmodum iterum Canonice electi.*
13 14. *Quat. circa successorem constitutio valeat Pontificis.*
15. 16. *An Cardinalatus dignitas Exspect. sustineat.*
17. 18. *De Archiepiscopatibus & Episcopatibus primum Reges & Imperatores, postea verò Pontifices plenarie disposuerunt.*
19. *Qui & Exspp. de iisdem conferunt.*
20. 21. *Sed cum distinctione.*
22 23. *Eligendi modus.*
24 *Regula generalis circa electionem.*
25 *Mores in contrarium.*
26. *Coadjutor Episcopalis Exspectans est Episcopus.*

85.86 Usufructuarium jus in Principe concedere, est Majestatem ejusdem evertere.
87. Distinguitur inter regna absoluta & limitata.
88. Electitia quoque possunt esse absolutissima.
89.90. Qui absolute regnant, successorem sibi constituere & Confraternitatis pacta inire possunt.
91. Successorem designasse proficuum est.
92.93. Nocivum volunt alii.
94 Qua de re judicium Bodini.
95 96.97. Quod in Electiva Regna non cadat Exsp. Limitatur per notabilem Exspect. Regis Romanorum in Imperium.
98. Necessitatem vel utilitatem Reip. in ea alii non animadvertunt.
99. An invito Imperatore Rex Rom. eligi possit ex Capitt. Imperii deciditur.
100. Feuda in Regalia & non Regalia dividuntur.
101.102. Electoralia feuda tenetur reinfeudare Imp.
103 Ratio obligationis.
104.105. Ampliatio.
106. Quæstio an in Feudis Imperio apertis locum habeant Exsp.
à num. 103. usq; ad num. 118. Deciditur ex temporum varietate & Capitulationum tenore.
ibid. Imperii feuda nonnunquam in fœminas transeunt.
119.120. Exemplum.
121. Objectio.
122.123. Diluitur.
124 125. Politicorum hac de re judicium.
126. Feuda non Regalia.
à num. 127 usq; ad n. 132. An in subfeudis admittatur Exspectantia & quibus requisitis.
d. n. Civiles Exspect.
133.134 Unde proveniant.
135. In Summo Tribunali Wismariensi quoad Assessores exulant Exspect.
136. In quibus negotiis constituantur.
137 138. Puerorum Illustrium Exsp. ad munera militaria.
139. Exspect. genus ad quodvis officium.
140.141 142. Exspp. matrimoniales & in specie impuberum.
à num. 143 usq; ad num. 148. In ipsis Conjugiis quat. tolerentur Exspect.
à num. 149. usq; ad num. 157. An viduæ Parochorum in Parochiis manendi possint habere Exspect. inquiritur.

1 PErlustrato subjecto ad concedendum habili, provehimur ad materiem circa quam occupantur Exspectantiæ, sive ipsum objectum, in quod introducuntur. Apprime conveniens, vel ut Scholastici loquuntur, adæquatum illud erit locus seu munus nondum

vacans, vel beneficium vacaturum. Idem tacite insinuatum in ipsa 2
descriptione, dum conditionalem diximus concessionem in hoc, ut suspensum maneat succedendi jus, donec vacare contigerit locum, tempore concessionis adhuc occupatum. Vacare autem non hic su- 3
mimus eo sensu, quo JCtus *in l. Q. Cæcilius ff. Depos.* ut scil. inutile aliquod denotet; sed ex parte ea significatione, quæ habetur *l. 53. ff. de Ædil. Edict.* ut denotet cessare vel desinere; & propriè in hac materia vacans dicitur, quod est vacuum seu non plenum. Vacare au- 4
tem incipiunt beneficia & munera, aut morte, eaque vel Naturali, quæ omnia solvit *Nov. 22. c. 20. pr.* vel Civili, uti vacare dicitur beneficium si beneficiarius bannitus sit *Camill. Borell. Summ. Decis. tit. 21. n. 6.* aut Renunciatione aut Privatione. *Boer. Decis. Burdegal. 2. num. 1.* Pontificiis vacantia dupliciter contingit: (1.) de Jure & de facto, ut quan- 5
do mortuus est Prælatus, & nemo in possessione reperitur, quo casu vacat de Jure quoad Titulum, & de facto quoad possessionem (2.) de Jure, non de facto, ut quando mortuo, abdicato vel remoto Prælato seu beneficium tenente, aliquis reperitur in possessione saltem colorate. *Johann. Staphilæus in Tract. Tractat. vol. 14. Fol. 24. num. 1. & 2.* Nos compendio rem emensuri, superius jam adhibitâ distinctione Futu- 6
ram illam vacantiam constituemus vel in rebus secularibus vel in Ecclesiasticis. Ad utrasque quin commode referri possint omnia, in quibus Exspectantiæ locum habent, nulli dubitamus; præsertim cum nihil beneficiorum, nihil munerum nominari queat, quod non ad has classes potissimum quadret. Sit ergo prima cura rerum Ecclesiasticarum; Inter eas primas tenet Papatus, sive dictus ita Pri- 7
mariatus Petri, de cujus origine & progressu, quamq; à tenuibus initiis ad tantum fastigium provectus sit, multa dicenda forent, nisi huic loco extranea & Historicis melius relinquenda putemus; Exspectantiarum tantùm incapacem eundem asserimus, nec Cardina- 8
lium quenquam per Exspectantias ad Pontificatum pervenisse nec pervenire posse, plenius dabimus comprobatum: Facti enim Exempla nulla unquam recensuit Historia, & fidem addit actus incompatibilitas, qui nec à Pontifice, nec Cardinalium Collegio expediri potest. Non à Pontifice, quia per Summos Pontifices & Concilia gene- 9
ralia statutum, ut non liceat Successorem eligere, multo minus verò Exspectantias dare, dum quicquid in termino prohibetur, in via quoque prohibitum censetur; Et ipse Papa non potest statuere ut

10 sibi hoc liceat *Cardin. Zabarell in Clem. ne Romun. num. 5. de Elect.* Nec à Cardinalibus; quia eorum silet potestas vivo Pontifice, & si quæ gesta fuerint ex plenitudine potestatis Pontificiæ omnia irritantur viribusque destituuntur. Impedimento ergo est divina, quam Pontificii gloriantur, quæque per inspirationem peragi dicitur, Electio;
11 Hinc quicquid eam tollit aut imminuit, abominabile & ab Ecclesia exterminandum sæpius inculcant Canones. Et ex hoc capite Clemens Papa (IIIius IVtus vel Vtus fuerit, ipsi dubitant Authores) Pa-
12 patui renunciavit; Ne scil mali imposterum exempli relinqueret memoriam; Nam cum fuisset institutus Pontifex ab Antecessore suo, ne posteri factū imitarentur, & ex Electitio per successionem hæreditarium efficerent Papatum, fastigio sponte cessit, & postmodum
13 quarto loco post Constituentem Canonice fuit electus. Ex quo Pontificem super Electione sui Successoris Constitutionem quidem facere posse, sed non sibi ipsi successorem eligere receptum est. *Dd. in in cap. licet de vitanda de Elect.* Nec prius omnino concedunt, nisi faciat de Consilio Cardinalium & in Concilio Generali, uti fecit
14 Alexander III. in Concilio Lateranensi, ut duæ partes Cardinalium sufficiant; Gregorius X. in Concilio Lugdunensi; ut Cardinales includantur in Conclavi *cap. ubi peric. de Elect. lib. 6. vid. Flamin. Parisium de Resignat. Beneficior. lib. 2. quæst. 1. n. 11. & seqq.*

15 CARDINALATUS dignitas majorem ad Exsp. habitudinem præfert; Vertitur enim eorum officium saltim in eo, ut assistant Romano Pontifici, eumque ope & consiliis adjuvent in sacerdotali officio; & ob id residere tenentur in Curia Romana ubi Papa residet *Paris. cit.*
16 *loc. n. 36.* Hinc pro suo arbitrio ad dignitatem illam evehit quoscunque voluerit Pontifex, & Exsp. largiri potest nullo impedimento obstante in contrarium, quod experientia abunde comprobat *Pet. Gregor. Syntagm. Jur. univers. lib. 15. cap. 4. n. 13. Matth. Steph. lib. 3. Part. 1. cap. 5. num. 11.*

17 Quid in ARCHIEPISCOPATIBUS & EPISCOPATIBUS usu veniat, distincte tradendum est; Si annales antiquos rerum Germanicarum consulamus, liquido constat, olim Francorum Reges qui Galliis & Germaniæ imperitarunt, ipsam dignitatem Ecclesiasticam contulisse, & Episcopos aliosque Prælatos investivisse ac constituisse;
18 Quod jus Carolus M. quoque postea cum Successoribus exercuit, donec progressu temporis Pontifices ad suum molendinum idem traxe-

re,

re, Henrico V. Imp. Investituram per Annulum & Baculum in manus Legati Calixti II. Summi Pontificis, Comitiis Wormatiensibus solenniter resignante, cujus formula apud *Abbatem Ursperg.* pluribus videri potest. *conf. Struv. Synt. Jur. Feud. c. 3. Aphor. 7 per integ. Burgold. Not. Imp. Rom. Germ. Disc. X. memb. 1. th. 1.* Sic itaque asserente 19
sibi plenariam potestatem circa Archiepiscopatuum & Episcopatuum investituram Pontifice, annexa iisdem jura in solidum quoque exercuit; Feudorum vero jure notum est, Investituram non tantum puram, sed & conditionalem firmissimo talo niti *Textt. & Dd. sup. c. 1. allegatis* ut frustra dubitetur Exspect in Archiepiscopatus & Episcopatus optime cadere posse. Quamvis hoc ipso non confundenda 20
putemus Electionis jura, cum dispositione, quæ ex illimitato arbitrio & potestatis plenitudine unius originem trahit sive ut magis Canonice distinguamus, Beneficia Electiva & ad Collationem pertinentia *c. cum illis c. 16. §. illis vero de præb. in 6.* Pontifex enim aut ipse sibi 21
reservavit illam Ecclesiasticæ dignitatis collationem, aut commisit Capitulis: Priori casu nihil vetat quominus & de præsenti & futura vacantia prospiciat Ecclesiæ; Posteriori vero cessat omnis Exspect. quod ex eligendi modo patere potest; Is enim his potissimum cir- 22
cumstantiis definitur, ut fiat intra tres menses à vacatione Ecclesiæ *c. postquam dist. 50.* ut ad electionem citentur omnes ad quos jus spectat, & omnes, vel major & sanior pars in Electum consentiat *c. quia propter X. de Elect.* Tertio ut eligendus sit de gremio Ecclesiæ, idque peragatur vel per modum scrutinii, quod hodienum quoque usitatum; vel per compromissum, quod rarius contingit; vel per Inspirationem, quæ ab usu plane recessit. *Joach. Steph. de Jurisd. Eccles. l. 4. c. 11. num. 14.* Denique ut facta electione exigatur confirmatio su- 23
perioris, quia per Electionem Electus consequitur jus habitu in prælaturâ, per confirmationem vero Exercitium illius actus *Pet. Gregor. Tholos. lib. 17. c. 5. num. 19.* Ut ita in genere statuendum; Ubicunque 24
Electione caput seu membrum Collegii demortuum reparandum, ibi Exspect. locum nullum habet, quomodo ex eodem fonte Parochiarum Exsp. *c. 1.* recte damnatum ivimus. Quanquam & hic mo- 25
res contrarios observare liceat: In multis enim Episcopatibus, ubi per Electionem successor constituitur, Exspectantias facto ipso obtinere certum est. Quotiescunque enim Coadjutorem eligunt illi, 26
quibus eligendi jus competit, nil aliud faciunt, quam quod Exspe-

ctantem conſtituant Epiſcopum; Hinc Coadjutoralis aſſiſtentia
ſæpe eſt Epiſcopalis Regiminis exſpectatrix, fatente *Cardin. Seraph.
Olivar. Razzal. Deciſ. aur. 1447. num. 4 quem citat Dn. Speidel. in Spe-*
27 *cul. Jurid. Polit. ſub voce Coadjutor.* Jure Canonico quidem id licitum
eſt eo caſu, ſi ob corporis infirmitatem Epiſcopus ſupereſſe officio ſuo
amplius non poſſit, *cap. ex parte 5. X. de Cler. Ægrot.* quam Electio-
nem Coadjutoris ulterius deſcribit Bonifacius VIII. Papa *in c. un. d. t.
lib. 6. Conf. Cardin. Tuſch. Pract. concluſ. lit. C. Concluſ. 403.* ne tamen
cum futurâ ſucceſſionis ſpe conſtituatur, ſpeciali conſtitutione cau-
28 tum in *Concil. Tridentin. Seſſ. 25. c. 7. de Reformat.* Sed non ſine exce-
ptione, præſertim in caſu urgentis neceſſitatis & evidentis utilitatis;
quo caſu tamen tunc demum cum ſucceſſionis ſpe conſtituitur Co-
adjutor, ſi cauſa à Pontifice diligenter cognita, concurrentibus in ſub-
ſtituendo qualitatibus, quæ à jure & Decretis Concilii Tridentini in
Epiſcopo & Prælato requiruntur, alioqui conceſſio Coadjutoris ſub-
29 reptitia cenſetur. *Concil. Trident. d. c. 7. Dn Speidel. cit. loc.* licet hodie fe-
re generalius hæc ſuccedendi Practica adhibeatur *Reinking. de Reg. S.
30 & E. l. 3. claſſ. 2. c. 3. n. 15. Cardin. Tuſch. d. concl. 403. n. 9* quâ intentione &
Epiſcopum Monaſterienſem nuper de Coadjutore ſollicitum fuiſſe,
fama publica retulit.

31 Magis vexata quæſtio eſt: An in Archiepiſcopatum Ex-
ſpectantia cum pacto Seculariſationis concedi poſſit?
Si Pontificios quæramus ex aſſe ſuſtinebunt Negativam dum piacu-
lum illis eſt, ſemel ſacris uſibus deſtinata, ſeculo denuo mancipare
32 *Buſch. de Bon. Eccleſ. p. 300. 301.* ſed his nihil attentis affirmative deci-
dit *Inſt. Pac. Caſ. Svec. §. 9. verb. ſimiliter.* In hoc enim Sereniſſimo ac
Potentiſſimo Electori Brandenburgico Exſpectantia in Magdebur-
33 genſem Archiepiſcopatum, cui ad vitam Reverendiſſimi Admini-
ſtratoris Clericalis qualitas remanſit, validiſſime conſtituta, ita ut
quocunque modo decedente moderno Adminiſtratore Sereniſſimo
AUGUSTO, Saxoniæ Duce, totus iſte Archiepiſcopatus cum omni-
bus eo pertinentibus territoriis, regalibus & juribus Sereniſſimo Dn.
34 Electori, ejusque poſteris & Succeſſoribus, hæredibus & Agnatis ma-
ſculis, nullâ obſtante Electione aut poſtulatione, tradatur & confe-
ratur in feudum perpetuum, facultatemque habeat authoritate pro-
pria vacantem poſſeſſionem apprehendendi ſicuti ſonant *verba d. §.*

ſimili-

similiter. Unde emergente aperturæ casu Ser. Electorem non amplius scamnum intermedium cum Lubecensi Episcopo occupaturum, sed secularia subsellia, quamvis novo cum Sessionis certamine, statim petiturum conjecturat Eitel Friedrich von Heerden in der Grundfeste des Heil. Röm. Reichs *Part. 2. cap. 5. pag. 102.* Pontificiorum vero Criminationibus breviter opponimus, Secularisationis actum gentibus fere approbatum, imo ipsis Pontificiis usitatum esse, ut suo se ipsos jugulo petant, si in aliis criminentur, quod ipsi toto die admittant, veluti de Innocentio Papa per universam Italiam monasteria quamplurima extinguente & ad sæculi usum transferente, notissimum asserit *Conring. ad B. Jun. c. 6. pag. 182.* Fundamentum præcipuum est in Necessitate publica, quam & Ecclesia, dum in Rep. est, non viceversa, suis bonis adjuvare tenetur. Principibus vero Protestantibus incubuit ex officio, ab Idolololatrico cultu repurgare provincias, & bona impietate contaminata in alios sive profanos sive pios usus convertere; Neque propterea pia Donatorum temeratur intentio, Principalis enim finis à secundario separandus; In hoc enim errarunt sæpius Testatores, quod ex prisca Papatus devotione multa expresserint, quæ nos jam superstitiosa putamus; In illo non æque, dum Principalis eorum scopus erat, sua munificentia cultum DEI, Ecclesiæ utilitatem promovere, pauperum necessitatem sublevare. *Burgold. Part. 2. Disc. 9 th. 14.* Quare nec solius Archiepiscopatus Magdeburgensis Exspectantiam cum secularisationis pacto habet Serenifs. Elector, sed & realiter secularisatos & Principatus nomine collatos Episcopatus, Mindensem & Halberstadiensem; Potentissimus Rex Svediæ Archiepiscopatum Bremensem & Episcopatus Verdensem & Caminensem, Duces Megapolitani Episcopatus Sverinensem & Razeburgensem, Domus Cassellana Abbattiam Hirschfeldensem, uti de his & similibus legi poterit sæpius cit. *Instit. Pac. Cæs. Svec. art. 10, 11, 14, 15, & alibi passim.* 35 36 37 38 39 40

Secundarias sive Minores rerum Ecclesiasticarum Exsp. cap. 1. 41
ex parte rejecimus, iis hic non nisi melioris lucis ergo & in supplementum quasi apponentes; Ut non careant vitio Parochiales Exsp. dari tamen casus in quibus vel ex utilitate vel necessitate Ecclesiæ suadeatur contrarium: Aut enim Decrepitus & Emeritus senex est 42
Pastor, ad muneris Ecclesiastici administrationem minus idoneus, & utique utilitas Ecclesiæ exiget, ut substituatur aliquis qui capacitatis

defectum suppleat laborumque parte sublevet senem. *Finckelthaus de*
43 *Jure Pat. c. 6. num. 28. p. 284.* Aut morbo corporis continuo, vel animi, per intervalla & inumbratæ quietis speciem *l. 18. §. 1 ff. de acq. poss.* distincto, laborant, & plane necessitas urget, ut iis qui impedimentum extrinsecus muneri suo superesse nequeunt, Coadjutor detur; Nec morbo correptos statim loco moveri convenit *c. Pontifex 7. quæst. 1.* Nec servitia subtrahunt, quos curamus ægros qui cupientes servire nobis, propter adversam valetudinem impediuntur *l. 4. §.*
44 *5. in fin. de Statu lib.* His E. solummodo casibus substitutus adjungitur Pastori, quem tamen ipse sibi non constituit per rationes proba-
45 tas à *Carpzovio Lib. 1. Jurispr. Consist. Tit. 2. def. 17.* Sed Patronus, modo & ritibus iisdem quibus alias Pastorem vocare solet, & quidem quod palmarium est, cum Exspectativa sive certa futuræ successionis
46 spe; Iniquum enim foret decedente Pastore aliis postponere illum, cujus merita labor & vigilantia satis jam approbata, & majori cum fructu præconem aget, cujus voci & officiis populus jam est assvetus; ne dicam variis ambientium sollicitationibus, in vacantiæ casum imminentibus. hoc pacto liberari Patronos *Finckelth. sup. cit. loc. p. 285.*
47 *Carpz. d. Tit. Def. 18.* An verò Ecclesiæ Patronus, in Civitate sub Imperii Principe constituta, casibus iisdem Superintendenti, si forte substituto opus esset, alium cum spe successionis surrogare valeat, dubium est; Regulariter hoc in casu nullæ competent vires Civitati; Superintendens enim dum loco Episcopi est, Episcopi nomen habet,
48 & ea exercet quæ partim sunt Ordinis, partim legis Diœcesanæ, *Reink. de Regim. sec. & Eccles. l. 3. class. 2. c. 3. num. 16.* non nisi à Principe
49 seu Superiore constitui potest; Hoc enim maximam partem Juris Sacrorum est, quod non nisi penes Principem residet, nec Civitatibus nisi Imperialibus in Germania conceditur, adeoque quod Juris
50 in Principali, idem quoque in accessorio seu substituto fuerit. Verum non omnino & indistincte Episcopalium Jurium incapaces censendæ erunt mediatæ Civitates; Præterquam enim quod cœpta post Evangelii lucem reformatione Religionis, Civitates non exspectata Principum providentiâ, aliqua ex iis quæ ad Sacra & Ecclesiasticam curam spectarunt, emendare & ad se trahere cœperint, ut postmodum suspensa per Religionis Pacem Jurisdictione Ecclesiastica & ad Territorii Dominos relabente, justo occupationis titulo salvæ sint &
51 defendantur; Ex privilegiis quoque talia concedi possunt & sæpius

conceduntur, Quædam etiam antiquâ ex consuetudine vel præscriptione exercentur, quædam per pacta & Transactiones obtinentur, ut per hos vel alios legitimos modos Civitas, quicquid juris Episcopalis obtineat, merito reservet, uti in causa non plane diversa, ex iisdem motivis pronunciatum In Sachen der Stadt Stralsund contra die Königl. Pommerische Regierung referente *JCtis. Dn. Mevio Part. 2. Dec 305.* Liquido patet, Civitatem Superintendenti quem ex voca- 52
tione sua proprium habet, alium cum spe successionis recte substituere & surrogare *conf. Carpz. l. 1. tit. 2. def. 19.*

Hoc loco quoque tangendæ sunt Exspectantiæ Professionum 53
in Academiis: Has ipsas verò licet plane damnandas putet *Matth. Steph. lib. 3. Part. 1. c. 18. num. 41. & 42.* ob liberam nominationem, quæ Confirmationem & Constitutionem novi Professoris regulariter præcedere solet, cum utique intersit Academico Corpori, & eruditione & moribus instructissimum quemque eligi: Nequaquam ta- 54
men illud Principis & Patroni Serenissimi potestati præjudicat; Non enim ille ita constringendus est, quo minus haud præcedente Academiæ nominatione, vel saltem non exspectata eâ, pro lubitu deferre vel spem facere queat ad Professoriam functionem; Solutus enim legibus est Princeps *l. 31. ff. de Leg.* Et quamvis per Constitutiones 55
Ecclesiasticas, sive alias concessiones, Collegio Academico eligendi potestatem contulerit, non magis tamen eo tenetur ipsemet Legislator, quam quondam Imperator legibus suis, quas ipse proprio motu condidisse dicebatur *l. 1 § 1. ff de Constit. Princ. §. 6. Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* præsertim si evidens pro Principe ratio militet, ob quam extra ordinem alicui Professionem committat. Quo ipso tamen in- 56
habiles, & nullo eruditionis specimine, nullo scrutinio comprobatos, Collegio neutiquam intrudendos putamus; Quin nec olim moris fuit Magistros studiorum Doctoresque admittere, nisi excellerent facundia & moribus *l. 7. C. de Prof. & Med.* Nec hodie sive rem sive spem ad hujusmodi munera facile confert Princeps, nisi vel persona eruditis scriptis Orbi jam innotuerit, vel in eadem vel in aliis Academiis docendi sparta laudabiliter jam fuerit functa; Cujus decisionis fundamentum ad Scholarum Rectores & quosvis inferiores Collegas 57
ob identitatis rationem extendi quoque meretur.

Ut vero præcipua rerum Ecclesiasticarum capita delibemus, de Jure Patronatus jam dispiciendum est, quomodo & quatenus idem

58 Exſpectantiis patere poſſit. Conſtat autem Jus Patronatus jus Eccleſiaſticum eſſe, quia ſpirituali, id eſt ſacro annectitur *cap. de Jur. Patron. ib. X. de Jur. Pat.* veluti religioſa cenſetur, quæ religioſis locis cohærent *l. 43. ff de R. V.* Per ſe tamen Eccleſiaſticum non erit, quia ſic nec Laicis competeret, qui ab omni ſacrorum miniſterio arcentur.

59 *vid. Pet. Gregor. lib. 17. c. 4. num. 1.* His autem eo potiſſimum intuitu Eccleſia idem conceſſit, ut invitarentur ad dotandas & conſtruendas Eccleſias, quæ ratio introductionis & acquiſitionis initia nobis ſimul ſiſtit, dum ex fundatione, conſtructione & dotatione omne jus Patronatus originem traxit, & in iisdem adhuc dum continuatur terminis, ut in ſingulis membris fuſe & accurate hoc ipſum tractavit.

60 *Sigism. Finckelth. de Jure Patr. c. 4. fere per integrum.* Jure Pontificio in beneficiis quæ ſunt Juris Patronatus, locus nullus Exſpectantiis reliquus eſt, niſi ex literis aliud appareat; Veroſimile enim non cenſetur, Papam tanto præjudicio gravare voluiſſe perſonas in jure præſentandi; quin in curia ſæpius videatur receptum, Papam non conferre beneficia etiam vacantia apud ſedem, ſi illa ſint de jure Patronatus teſte *Staphilæo de Grat. & Exſp. in Tract. Tractat. fol. m. 22. num. 7.*

61 Nos, præſertim quoad modernam Praxin intereſſe putamus, jus ne Patronatus ſolitarium conſideretur, an junctum Univerſitati; Separatim & ſolitarie ſpectatum, uti nec commercii, ita nec Exſpectantiarum capax eſt; Rebus enim Spiritualibus & Eccleſiaſticis annumeratur, earum verò alienationi periculum Simoniæ imminet. *Can. 1. cauſ. 1. quæſt. 1.* & inſuper res ſacræ non recipiunt æſtimationem *c. querelam de Simon. l. 9. §. 5. ff. de Diverſ. Rer. & Qualit. Weſſenbach Diſput. ad*

62 *Pand. 9. lib. 36. th. 19.* Cum univerſitate autem donari, permutari, vendi, & quovis modo alienari poteſt, dum quaſi patrimonialem induit reſpectum *Magnif. Dn. Brunneman. in Parat. Weſenb. quæſt. 30. ad S. C. Trebell. p. 447.* Ac proinde cum univerſitate tanquam pars cum toto & tanquam contentum ſub continente tranſit *C. cum ſeculum 13. X.*

63 *h. t.* Ratio eſt, quia cum Patronus re alienatâ non poſſit amplius tueri Eccleſiam ratione rei univerſalis, ideo expedit Eccleſiæ ut Succeſſor in ipſa re univerſali ſuccedat etiam in jure Patronatus *Cardin.*

64 *Tuſch. Practic. Concl. lit. l. concluſ. 612. num. 2. 3. 23.* Nec hoc caſu per ſe vendi dicetur, ſed potius in neceſſariam quandam conſequentiam rei alienatæ cui adhæret; Multa enim in conſequentiam neceſſariam fieri permittuntur, quæ quandoque principaliter prohibentur *l. 1 ff de Auctor.*

Auctor. Tut. Sigism. Finckelth. d. Jur. Pat. c. 5. num. 11. ut inde jam Decisio facilis fluat, in purum atque solitarium jus Patronatus frustra dari 65
Exspectantias: optimo jure vero capax idem dici Exspectativarum, si fundo l. prædio connexum sit; Hinc Vasallus in aperturæ casum à Domino in feudum investitus, simul juris Patronatus consequitur Exspectativam, cum hoc velut Accessorium Feudum tanquam Principale continuo comitetur. *Petr. Gregor. Syntagm. Jur. Univers. lib. 17. cap. 4. num. 3.*

66
Pergendum nunc est ad Seculare objectum, cujus futura vacantia ambitu suo complectitur Feuda & omnia Munera Civilia. Feudorum evolutioni præmittimus Imperia, Regna & quasvis Summas potestates, brevibus visuri, an & quatenus illa ad Exspect. receptionem foveant habitudinem; Duo autem expendenda venient 67
momenta, unum in Lege, alterum in Conventione: Legalem Expectantiam Regnis & Imperiis esse communem, vulgata Europæorum Praxis valide satis videtur confirmare. Omnium enim 68
temporum memoria narrantur & prostant Exempla, quæ Patrum sceptra filiis commissa fuisse memorant, quasi hæreditariâ quadam traditione; Etenim ne sine Successore dubia fluctuet Resp. & insu- 69
per periculosæ circa eandem lites præscindantur, Jure aliquo opus fuit; Per Naturam autem illud determinare, difficile erat ob fratrum æqualitatem; Ætas enim Accidens est, parum ad rem faciens; Gradus autem prudentiæ dignoscere & ex dignitate rem æstimare non potuerunt, qui in propria causa judicium ferrent, & ipsi sibi blandirentur. *Felden. in Not. ad Grot. c. 7. lib. 2. §. 12.* Hinc leges de Successio- 70
ne disponentes variæ in publicum prodierunt, & in partes accedens consvetudo paulatim approbavit, ut exclusis reliquis omnibus, unus Primogenitus Imperio admoveatur. Habet E. Primogenitus Re- 71
gni Exsp partim ob Electionem, quæ tacita semper intervenire præsumitur in tali successione; partim vero ob tenerrimum Parentis amorem, qui exclusis aliis ideo potissimum favet Primogenito, quod hoc nato, si nemo alius filiorum nasceretur, unus erat cui maxime collatum regnum optaret Pater; & eo ipso quo natus primus est, sta- 72
tim videtur nominare hæredem & destinare Successorem, ne, si aliquid humanitus accidat, in extraneas manus delabantur Imperii sceptra *Joh. Frid. Horn. de Civit. lib. 2. c. num. 15.* Præmoriente autem 73

vivo adhuc Patre Primogenito, vexatissima occurrit quæstio, quis, si filium reliquerit & Patruum, potiorem inter illos ad Regnum Exsp.
74 mereatur; *Hornius cit. c. 9. num. 16.* Parenti omnem dispositionem attribuit; Eo vero citra mentis revelationem fatis functo, populo, l. sorti arbitrium committit, sive nepotem sive filium regali fastigio admovendi, propterea, quod non sint confundendæ successiones Civi-
75 les cum Imperialibus. Verum, præterquam quod Primogeniæ successioni cum privato jure nihil commercii sit, dum ex publicis legibus & universim fere receptâ consuetudine dependeat, hæc insuper pro Nepote firmissima militat ratio; Quod jus primogenituræ sit jus instantaneum, connatum eo ipso quo quis in lucem procreatur; Hoc vero perpetuam comitari Regulam: Quotiescunque jus & bona ingressa semel sunt lineam, semper in illâ remanent, donec aliquis superest, nullâ majoris ætatis habita ratione, hancque sententiam veram & sacrosanctam judicant. *Mynsing. Cent. 3. Obs. 43. Menoch. Vol. 3. Consil. 211. num. 32. conf. Dietrich. ad A. B. tit. 7. verbo devolvatur. Dn.*
76 *Ziegler. in Grot. lib. 2. c. 7. n. 22.* Extincto vero sine prole Primogenito, jura ejusdem ad Secundogenitum recto tramite devolvuntur; Ob nobilitatem enim electa censetur familia; intraque eos stat successio, qui à primo Rege descendendo, sanguinem trahunt. *Grot. lib. 2. c. 7.*
77 *num. 15.* Hinc ordo talis semper fere continuatur: Uti se habet Primogenitus in Successionis Exspect. ad Secundum, ita Secundo genitus ad Tertiogenitum & consequenter. *Lampad. de Rep. Rom. Germ.*
78 *Part. 2. c. 4. num. 13. 14. & seqq.* Quanquam fatendum sit, ubi diversam constitutionem Regna & Imperia foveant, deliquium pati ordinariam hanc & receptam consuetudinem, præsertim cum non ex Jure Naturæ aut gentium, sed publicis legibus & variis populorum
79 placitis eadem fluat. *Dn. Conring. Not. Lampad. d. n. 13.* Liberis autem plane deficientibus ordine consueto in spem vocabuntur Agnati, secundum graduum prærogativam quâ superstitem contingunt; Remotiores enim potius volunt succedere quam extraneos, ut si non in liberis saltem in consanguineis regnent, quæ ipsa fusius asserere operæ pretium non putamus, quin missâ legali, Conventionalem potius veluti proposito nostro magis ad æquatum, investigandam nobis sumemus.

80 Conventio autem de re in alium transferenda præsupponit alienan-

alienandi potestatem, & videtur hunc revocanda distinctio quam in partiundis Regnis aliquoties usurpat Celeberrimus *Grotius*, asserens 81
alio pleno jure proprietatis, alia itidem usufructuario jure penes Regnantes esse; Reges, tam qui primo eliguntur, quam qui electis legitimo ordine succedunt, jure usufructuario: Jure vero proprie- 82
tatis Reges esse, qui justo bello Imperium quæsiverint, vel quorum Clientelæ populus sine omni Exceptione semet commiserit *lib. 1. de J.B.&P. c.3 n.* 11. *Lib.2.c.7.n.17. & lib. 3.c.20. num.5.* ut ita quoad patrimonialia Regna quoque de futura successione dispositionem, non vero quoad usufructuaria subsistere posse, dicendum sit. Verum 83
utut tolerari posset, si commodiori sensu explicaretur distinctio, Rectius tamen alii Partitionem hanc difficilem & periculosæ applicationis judicant, sive genuina Politices principia, sive ipsam modernam Praxin spectare velis. Doctrina enim de Majestate & Imperio, Ci- 84
vili jure privatorum non est commiscenda; Diversissima enim sunt proprietas & Majestas. Proprietatis nomen ad res quæ in dominio sunt pertinet, cum Majestate nihil commercii habet. Usufructua- 85
rium vero jus in Principe concedere, esset Majestatem Principis evertere, cum quod præcipuum, esset penes alium; quod nihil importaret, liberæ dispositionis Principi relinqueretur. Adde, quod Usus- 86
fructus finiatur non utendo per modum & tempus § *3. Instit. de Usuf.* Hac vero ratione facilis ansa daretur solio pellendi Principem, dum nunquam non fingerent abusum, nunquam non transiliisse Principem metas ogganirent Majestatis osores. *Joh. Frid. Horn. l 2.c. 10.n. 7. in fin.* Removendum tamen omnino putamus modum habendi 87
Majestatem limitatum ab Absoluto; In limitata Regna, qualia plerumque solent esse Electitia, Exspectantiæ non cadunt, cum alienandi & de Successore disponendi arbitrium his plane sit ademptum; quorsum enim foret alias Electio? Quamvis & Electitia regna abso- 88
lutissima esse possint, cum nihil alienandi facultas l. juri l. Exercitio Majestas demat, saltem liberiorem habendi modum arguat, quoties Principi fas est, in alium pro lubitu spem successionis conferre. Ab- 89
soluta vero regna, quibus illimitata & perpetua potestas, liberrimaque jurium Majestaticorum administratio semper competit, futurum sibi Successorem arbitrarie constituunt, in tantum, ut & Confrater- 90
nitatis pacta Imperii Principibus usitata, ad similitudinem earum conventionum quas absoluti Reges & Imperatores exercent, attem-

pera-

91 perari posse putent Politici. Quanquam modo salutare, modo nocivum, pro diversitate motuum & qualitate Reip. judicent, Exspectantias in casum vacaturi Regni concessisse; Proficuum Reip. asserunt, qui reprehendunt Alexandrum M. quod vel robustus neminem sibi, vel jamjam agonizans à Perdica rogatus, cuinam relinqueret regnum, non nisi Optimo & dignissimo responderit, *Q. Curtius lib. 10.*
92 *c. 5. Dn. Ziegler. in Not. ad Grot. lib. 2. c. 7. §. 27.* Novicum volunt, quotquot Toletani Concilii placita sequuntur, quo cautum prædicant, cætu Christianorum arcendum esse, qui vivo adhuc Rege de fu-
93 turo successore disputare ausus fuerit *Hotom. de Success. Reg. lib. 4.* Item, qui Elisabethæ Anglicanæ Heroinæ facta memorant, coram quâ cum disceptaretur, successione Reges an suffragio potius creandi essent; & Anglicanus populus; ut sibi successorem designaret Regina, deposceret; Ipsa renuit hoc facere: Quo facto sub læsæ Majestatis crimine prohibitum fuit, de Imperii successore sermones conferre *Matth.*
94 *Steph. sup. cit. c. 18. th. 46.* Sed recte hac ratione Regnanti, non vero populo prospici ratiocinatur *Bodin. lib. 6. de Rep. c. 5.* Nec quicquam particulares filiorum in necem Parentum Machinationes, ad evertendam sententiam nostram facient, cum quæ lege defertur exspectantia vitii minus habere præsumatur, quam quæ conventione.
95 Dum vero in Electivo Regno Exspectantiarum concessionem, cessare dixi, limitationem hoc recipit, si ob publicam utilitatem & quietem Reipubl. conservandam, consentientibus illis, quibus jus eligendi competit, successor constituatur, volente tamen illo, qui in præsens Regni Sceptra tenet. Hoc enim dissentiente Eligentium potestas utique nulla est, Sed quiescit, usque dum præsens Rex è vivis decesserit. Quorsum referri meretur notabilis Exspectativa, quam ipso
96 Jure in Imperium nostrum habet Electus Romanorum Rex. Hanc enim ipso Electionis Actu consequitur, dum Imperatori extra ordinem adjungitur in hoc, ut velut generalis ipsius Vicarius, eo vel absente, vel impedito moderetur Remp. & defuncto demum sine ul-
97 teriori Electione succedat. Unde Ferdinandus Imp. de se ut Rege Romanorum ita loquitur in Recess. Imp. de Anno 1559. in pr. Uns als hiebevor erwehlten bestätigten und gekröhnten Römischen König / auch Ihrer Liebden und Kayserl. Majest. im Fall der Erledigung unzweiffent-
98 lichen rechten *successori.* Quamquam necessitatem & utilitatem Reip. nullam animadvertant alii, sed arcano consilio plerosque electos in hoc

hoc autument, ut Imperatores, se vivis filios, Fratres, proximosve Agnatos faciliori negotio ad Imperium proveherent, nec arctis adeo vinculis constringerentur quam si regnum vacaret *Monzambano de stat. Imper. Rom. Germ. c. 4. §. fin.* Quod tamen antea in genere assere- 99
bam, viventis Principis consensum tali casu accedere debere; exinde haud pauci statuunt, nec invito Imperatore Romanorum Regem eligi posse, *Reinck. de Regim. Sec. & Eccles. lib. 1. Class. 3. cap. 14. num. 28. Arum ad Aur. Bull. Discurs. 2. th. 14.* Cum tamen contraria decisio in Capitulationibus Imperatoriis, utpote Legibus Imperii nostri fundamentalibus expresse fundata, quod & Imperatore sine justa ac evidente caussa dissentiente, Rex Rom. eligi possit, merito hanc ipsam defendimus. *Vid. Capitulat. moderni Imp. D. Leopoldi art. 36. Limn. d. Jur. Publ. lib. 2 c 15. n. 30.*

Ipsa Feuda in aperturae casum sine vitio aliis constitui, & supe- 100
rius deduximus, & hic repetendum erit; Non autem unius generis esse constat, sed vel in Regalia vel non Regalia communiter dispesci: Regalia cum potestate seculari (Ecclesiastica enim initio hujus capitis aliquomodo vidimus) sunt Electoratus, Principatus, Ducatus, & Comitatus. *Struv. c. 3. th. 6. Synt. Jur. Feud.* Electoralia feuda (de Ecclesiasticis Electoribus non loquor, nam post horum mortem Capitulum in vacantis locum alium eligere & designare notum est. *Vid. Choppin. de Doman. Gall. lib. 2. tit. 10. n. 2. Nicol. Myler. addit. ad Rumel. ad A. B. Part. 1. Disc. 7. §. 11. lit. A. Limn. ad A. B. Tit. 7. §. 3. Obs. 1.*) Exspp. patere vel inde patet, quod Imperator non solummodo si velit, ista reinfeudare & ad alios transferre possit, sed & id facere obstri- 101
ctus sit vigore *Aur. Bull. tit. 7. ibi*: Si aliquem ex hujusmodi Principa-
tibus ipsorum, Imperio sacro vacare contingeret, tunc Imperator 102
seu Rex Rom. qui pro tempore fuerit, de ipso providere debebit & poterit, tanquam de re ad se & Imperium legitime devoluta; Exempla longa serie legi possunt apud *Carpzov. de Leg. Reg. Germ. c. 7. Sect. 3. à num. 18. ad 27.* Necessitatis ratio in publica Imperii salute vertitur, ne scil diminuto Electorum numero, pauciores premat onus, quod 103
pluribus incumbere par erat, & solutâ pedetentim collegii compage concidat Resp. velut *Subductis tecta columnis.* Concessam vero in tantum Imperatoris arbitrio Electoratuum provisionem *ad d. text.* 104
A. B. asserit *Dn. Dietrich.* ut Electorum consensum implorare neuti-

quam habeat necesse; quosque varios in Contrarium disputantes
alleget *Limn. in addit. ad Jus Pub. lib. 3. c. 7 num. 69.* unico hoc enervari
posse, si dicamus; bene ac tutius Imperatorem in consilium adhibere
Electores, ne ipsis invitis alius obtrudatur Collega; Nulla tamen
publica a: speciali sanctione, ut eorum consensum adhibeat compel-
105 li. Quamquam rectius hac de re suspendatur judicium, quamdiu
Serenissimis Electoribus, Saxone & Brandenburgico, Cæsaris dispo-
sitioni obloquentibus, decisionem nondum formarint Comitia *Conf.
Limn. loc. cit.*

106 Longe dispar ratio est reliquorum Feudorum & Principatuum
Imperii, ut inde proposita quæstione, an Regalia Imperii feuda extra
Electoratus, sine prævia deliberatione Electorum Statuumque in a-
perturæ casum recte aliis concedantur, miram Dd. inter se foveant
dissonantiam *Vid. Bocer. Tr. de Regal. c. 2. num. 61. Paurmeister. de Jurisd.*
107 *l. 3. cap. 4. num. 7.* Ex temporum varietate & Capitulationum teno-
re decisio formatu facilis est; Etenim olim id licuisse Imperatoribus,
ex laxiore eorundem potestate, pluribus exemplis comprobata, de-
prehendere licet: Sic Rudolphus I. Imp. Austriam ad Imperium de-
volutam, citra consilium Statuum Alberto filio, Archiducum Au-
striæ primo Plantatori Anno 1275. concessit *Georg. Horn. Orb. Polit.*
108 *Part. 2. p. m. 48. in fin.* Et Woldemaro Marchione Brandenburgensi
defuncto, Ludovicus Bavarus Marchiam in filium transtulit. Pari
modo Ursorum familia in Alberto penitus extincta, Sigismundus
Imp. Fridericum Marchionem Misniæ anno 1422. de Saxonia infeu-
109 davit. *Horn. ibid. pag. 38. in fin.* Fridericus itidem III. Alberto Saxoni
anno 1483 Ducatum Juliacensem, Clivensem & Montanum, quorum
aperturam cito sibi obventuram sperabat, ob insignia merita contu-
110 lit *Limn. Jur. Publ. l. 5. c. 10. num. 12.* Et ni sine contradictione soli ex-
ercuissent hanc potestatem Imperatores, quid Maximilianum I. ad
solennem illam renunciationem perduxisset, qua Everhardo Wur-
tenbergensi in Investitura Ducatus illius specialiter cavebat; si Du-
catum istum ad Imperium reverti contingeret, se aut Successores su-
os de eo neminem investituros esse uti Renunciationis verba ex
Hortledero *de caus. belli Germ.* excerpta legi poterunt ap. *Carpz. de*
111 *Leg. Reg. Ger. sup. cit. c. 7. Sect. 3. n. 6.* Tractu vero temporis, cum pu-
blici reditus ita exhaurirentur, ut vix superesset, quo vitam tanto fa-
stigio dignam exhibere possent; ad labascentes Imperii vires restau-
randas

randas optimum visum fuit, aperta Imperio feuda in usum Imperii vertere denuo & incorporare, vel non nisi advocato Electorum consilio bene de Rep. meritis iterum infeudare *Lampad. Part. 3. c. 5. n. 26.* 112.
in Testimonii fidem accerso omnes, quotquot à Carolo V. ad Invictissimum Leopoldum Nostrum lucem viderunt Capitulationes, & unum nomine omnium sufficientissimum *art. 30. Novissimæ Capit. Leopoldinæ*, cujus expressa verba huncin modum sese habent: Wann auch Lehen dem Reich und Uns bey Zeit unserer Regierung durch Todesfall oder Verwirckung eröffnet / und lediglich heimfallen werden / so etwas merckliches ertragen / als Fürstenthümen / Graffschafften / Städt und dergleichen / die sollen und wollen Wir ohne Vorwissen der 7. Churfürsten ferner niemand leihen / auch niemand einige Exspectanz oder 114
Anwartung darauff geben / sondern zu Unterhaltung des Reiches / Unser und Unserer Nachkommender König und Käyser behalten / einziehen und incorporiren / doch Uns von wegen unserer Erblanden / und sonst männiglich an seinen Rechten und Freyheiten unschädlich: So sollen auch die Lehen Brieffe und Exspectantien über des H. Reichs-angehörige Lehen / welche bey einer anderen / als unser Reichs Cantzeley und ohne Vorwissen der Herrn Churfürsten ins künfftig ertheilet und ausgefertiget werden möchten / gantz ungultig seyn. Verba Capitulationis 115
roborant exempla: Sic enim Dominus Electoralis Saxonica ab Imp. Ferdinando III. Electorum Consilio obtinuit Exspectantiam in Feuda Imperii Comitum de Hanow / Cæsareo diplomade Pragæ 17 Sept. anno 1638 confirmatam *Spreng. Lucer. mod. stat. Sac. Rom. Imp. p. 331.*
Itidem idem Ferdinandus III. in publico Pacis conventu Monasterii 116
anno 1648 coacto, ex communi Statuum placito disposuit, ut lineâ Masculinâ Electorali Domus Brandenburgensis extinctâ, Ulterior iterum Citeriori Pomeraniæ jungatur, & Episcopatus integrumque Capitulum Caminense Potentissimo Svediæ Regi, Domino meo clementissimo, ex asse cederet, æquipollentis loco Sereniss. Electore Brandenburgico, Episcopatus, Halberstadiensem, Mindensem, & Archiepiscopatus Magdeburgensis Exspectantiam recipiente *Instit. Pac. Osnab. art. 10. §. Titulis & insignibus & 11. pr. Burgold. ad dict. art.* Frustra igitur est *Boer. sup. cit. loc. & c. 4. num. 15.* quando antecedentium 117
Capp. articulos non de feudis Imperio apertis, sed saltem de bonis vacantibus accipit, siquidem sensum hunc ipsa Capitulationis verba respuant, &, quem secutus est, Sleidanus, sine dubio feuda Imperio

aperta (cum & ipſa ſine abſurditate reſpectu qualitatis feudalis bona
vacantia vocari poſſint) intellecta voluit *Conf. Carpz. d. cap. 7. Sect. 3.*
118 *Martin. Rumelin. ad A. B. P. 1. Diſſ. 7. th. 12.* Quamvis autem feuda
communiter aperiri dicantur maſculo nullo hærede ſuperſtite, pati-
tus tamen illud limitationem, ſi ex ſingulari habitudine & qualitate
in fœmininum ſexum ſint tranſitoria; Exemplum rei inſigne ſuppe-
ditat Sereniſſ. Saxoniæ Elector Joh Georgius I. qui ſub defectum
maſculorum dulciſſimæ filiarum Trigæ in utramque Luſatiam Teſta-
mento conſtituit Exſpectantiam; Verba Teſtamenti ſunt: Unſer
119 Frauen Tochter/Frauen Sophien Eleonoren/Landgräffin zu Heſſen;
Frauen Marien Eliſabethen/Herzogin zu Schleßwig/Holſtein; und
Magdalenen Sybillen/Verwittibten Königl. Princeſſin zu Denne-
marck/Norwegen/Lbd. betreffend/da haben wir zu denenſelben das
120 Väterliche gute Vertrauen/Sie werden ſich an Ihren Fürſtl Ausſtat-
tungen/daran verhoffentlich kein Mangel erſchienen/vermöge ihrer ge-
leiſteten Verzügt und *renunciation* begnügen laſſen/jedoch verbleiben
Sie und Ihre Nachkommen/bey der an denen Marggraffthumben
Ober- und Nieder-Laußnitz verſchriebenen Anwartungen bil-
121 lich etc. Quo ipſo duo inuſitata videntur involvi, Primum quod
fiat transmutatio feudi maſculini in fæmininum, deinde quod diſpo-
natur de re Dominio noſtro non plene ſuppoſita, Feudum enim ad
res alienas ſpectat, de quibus teſtari non poſſumus *1. Feud. 8. in fin.*
122 *princ.* Sed primum quod attinet, licet maſculea ſint plerumque Im-
perii feuda, Luſatia tamen ſuperior & inferior, cum de Regni Bohe-
miæ, quæ fæminas non excludit, & cujus ante hac annexa provincia
erat, natura & qualitatibus participet *Spreng. Font. Jur. Pub. p. m. 418.*
nihil immutaſſe Teſtatorem verius eſt, qui ſuæ poſteritati legitime
ſaltem cautum voluit, fæminas admittendo, ubi recipi jam ante con-
123 ſveverant: Quod & tollit ſecundum, dum non alienat, ſed ſuæ tan-
tum familiæ conſervat, diſpoſitione paterna & ſatis privilegiata.
124 Quin durius ſenſerunt Politicorum nonnulli, qui hodiernum Impe-
rii ſtatum ſecum reputantes, omnium Statuum ſecularium intereſſe
exiſtimarunt, ut feuda etiam ad fæminas indiſtincte tranſeant, & diſ-
poſitio Teſtamentaria in iſtis Feudis contra jura feudalia introdu-
215 cantur; Quod ipſum ſi tutum in Imperio obtinuiſſet, pacta tot gen-
tilitia celebrare non fuiſſet opus, neque cauſa Juliacenſis tantis mo
tibus involviſſet Germaniam, uti conſilium tale contra Dn. Elect.
Bran-

Brandenburgicum in controverſia Juliacenſi pro ſe alllegat, Palatino
Neoburgicus ap. *Burgoldenſ. Part. 1. Diſc. 32. p. m. 786.*

Non regalia feuda & valide & frequenter Exſpectantias admit- 126
tere *c. 1.* jam dedimus aſſertum, adeo quidem, ut generalem tuto re-
gulam ſtatuamus; quod, in quocunque infeudatio, in eo quoque
procedat Exſp. Quo ipſo lucem ſimul fœneramur quæſtioni, An 127
& in ſubfeudis, queis feudum totum vel partem ejus, ſub conditione
fidei ſibi præſtandæ in feudum iterum concedit Vaſallus *2. F. 26. §. Be-
nefic. Vult. c. 10. n. 79.* robur eadem habeat; Vaſallo quidem Feudi alie-
nationem permittere ſtatutis Juris feudalis minus congruere vide-
tur; Quia tamen alium de feudo ſubinfeudando, jus Domini non 128
reddit deterius, quin Domini potius commodum procurat, quippe
cui Vaſallus melius præſtat ſervitia, cum & ipſe Subvaſallorum fideli
ope ſit ſtipatus, *Andr. Kohl. tr. de ſubf. c. 1. num. 3.* Neque feudum alie-
nat, ſed utile Feudi Dominium Subalternatum ſaltem in ſub vaſal-
lum transfert *Ludw. ſynop. Jur. Feud. c. 15. p. 314. Struv. c. 12. th. 9. num. 3.*
Modo tamen illa requiſita, quæ attenduntur in Subinfeudatione,
præſto quoque ſint in Exſpectantiis, ut ſc. (1.) Sub iisdem conditio- 129
nibus habeat conceſſionem, quibus ipſe Vaſallus feudum; Duriorem
enim feudi conditionem reddere nequit v. g. ut ſervitia pacto remit-
tantur, ut fœmina ſuccedat *2. F. 34. §. Profecto.* Licet levior conditio
non noceat *Struv. c. 12. th. 11. num. 6.* (2.) Ut ſincere & ſine fraude fiat, 130
non vero ut ſub hoc colore ſeu prætextu conditionalis inveſtituræ
fingatur Exſp. & tamen omnimoda celebretur venditio *2. F. 55. §. Cal-
lidis Ludw. p. 316.* (3.) Denique, ut æque ſit habilis Exſpectans & ido- 131
neus ad ſervitia præſtanda; Cum enim Valvaſores majores, quanto
ampliora feuda habeant, tanto cum majori apparatu ſervitia exhibe-
re teneantur, hæc autem ope Valvaſinorum vel ſubvaſallorum præ-
ſtent, habilitas eadem adeſſe debet, quæ in ipſis Vaſallis, non quidem
ratione Nobilitatis & dignitatis, ſed habilitatis & aptitudinis ad ſer-
vitia, ne vel cœco vel claudo vel aliter imperfecto Expect. aut Sub-
feudum concedatur. *Struv. d. th. 11. num. 2.*

Perfunctorie Secularis objecti adyta inſpexiſſe videremur niſi 132
& Civilium Exſpectantiarum mentionem aliquam ſubnecteremus;
Reſpiciunt autem hæcce Munera & Officia in qualibet bene conſti-
tuta Rep. uſitata; Prudentia enim Architectonica licet ſpiritum &
vitam largiendo ſupra totam Civitatem feratur, vix tamen in omnes

rectè ſeſe inſinuat partes niſi & Βουλευτικὴν & Δικαστικὴν habeat pediſ-
133 ſequas; Hinc ſemper aſſediſſe ad latus Principis, qui & domi & bello
conſiliis ſalutaribus ipſum inſtruerent, memoriæ proditum legimus;
Et cum negotia in Rep. occurrentia varia & leviſſima ſæpe ſint, varios
quoque & in ſingulis partibus conſtituere par erat Officiales, ne à ma-
joribus avocatus, minutiſſimis præter rem & dignitatem ſuam Prin-
ceps implicaretur. Ipſi E. velut capiti competit, vel pure, vel ſpe fu-
134 turæ vacantiæ, digniſſimas cuique negotio præficere perſonas; In
Judicalibus Præſides, Vicepræſides, Aſſeſſores, Protonotarios,
Referendarios (Quanquam in Summo Regio Tribunali, quod
135 Wiſmariæ ſitum eſt, quoad Aſſeſſores Exſpp. exulent, dum S. Reg.
Majeſtas Svedica, Clementiſſimo erga ſubditos affectu Imperialis
Cameræ Exemplum imitata, præficiendi modum talem definiverit,
ut excepta conſtitutione Præſidis & Vice-Præſidis, quam ſibi Regno-
que reſervavit, quoad cæteros dederit Provinciarum Regimini & Or-
dinibus Miniſtros Tribunalis præſentandi poteſtatem, *Teſte Meritiſſi-
mo ejusdem Vice Præſide nuper heu! & publico & privato Patriæ dolore con-
tumulato, JCtiſſimo Dn. Mevio part. 1. Deciſſ. in Prodr. conſ. Ordin. Tri-
136 bunalitiam part. 1. Tit. 2. §.* Wann ein Bedienter. In extra judiciali-
bus, iisque Togatis conſtituit Conſiliarios, Legatos, Cancella-
rios, Senatores, & quosvis Politiæ conſervandæ ampliſſimos; In
Militaribus Generaliſſimos, Generales, Locum tenentes,
137 Chiliarchas, Vigiliarum Præfectos Capitaneos &c. Quo fit,
ut pueros ſæpe ad munera militaria adhiberi videamus; Intuitu enim
meritorum, quibus Remp. & caput ejusdem Principem ſibi obſtri-
ctum reddidere Parentes Illuſtres, filiis quoque, licet parvulis, licet
minorennibus, facultas conceditur à teneris Parentum veſtigiis inſi-
138 ſtendi & virtutes eorum æmulandi; ut tamen, donec adoleverint
Exſpect. potius foveant, quam realem muneris adminiſtrationem:
Ipſorum enim loco & prudentia & ætate habiles eliguntur, qui mu-
nera dextre obeant tamdiu, quam Principalem ætatis & Experientiæ
139 defectus repellunt. Præter memoratas hactenus expectativas dan-
tur adhuc aliæ, non minus frequentatæ, quæ tamen partim de ſecula-
ri, partim de Eccleſiaſticâ natura participant: Generalior illa eſt, quæ
ad quodlibet officium dari poteſt, adjuncta conditione, ſi erga id
tempus, quo vacare contigerit idem, dignum ſeſe reddiderit; Hæc
enim

enim nec veri, nec apparentis vitii quicquam ſub ſe habet, dum Exſpectans ad calcandam virtutum ſemitam eâ conceſſione invitatur, & damnum Reip. finibus arcetur. quod non admittat concredi munera niſi digniſſimis & perfectione debita conſpicuis.

Speciatim Exſpectativas quas tamen certo reſpectu ſaltem huc 140 referimus, in cauſis matrimonialibus conſpicere licet; Sic matrimonii Exſpect. Impuberum & in cunis adhuc vagientium conjugia fovent, quæ alias ſubſiſtere nullo modo poſſent dum primarium Nuptiarum requiſitum ſit, ut ineantur contrahentium conſenſu, & maſculi ſint puberes, fæminæ autem Viripotentes. *pr. Inſt. de Nupt. & pr. Quib. mod. Tutel. fin.* Hinc & jus Canonicum ejusmodi deſponſa- 141 tiones permittit *c. fin. X. de Deſponſat. Imp.* ita tamen, ut poſt pubertatem arbitrio contrahentium relictum maneat, an velint revocare ſponſalia an approbare, dum Impuberes rationis exercitio & conſenſus ſui adjectione deſtituuntur. Inter perſonas illuſtres frequentiſſimas eſſe, tota dies docet, ſi nempe ea ratione novæ Provinciæ acquirendæ, fœdera ſtabilienda, pax firmanda; Licet incommodis non 142 carere bene animadverterent Principes Galliæ, ubi Anno 1612. Impuberes adhuc Ludovicus XIII. & Anna Auſtriaca ſponſalia celebrarent: Majoris momenti negotium eſſe, quam ut tranſigi poſſit inconſultis Principibus, quorum præcipue intereſt; Indebitam contractui ætatem, tenellos adhuc utrique conjugum annos, mutari paſſim cum ætate affectus, præcipue Regibus; Si puberi Ludovico diſplicuerit cum Anna vitæ ſocietas, repudiandam, Repudio imminere ultionem &c. verba ſunt *Grammondi, Hiſtoriæ Gallicæ lib. 1. p. 20.* Sic 143 Ipſa conjugia adultiorum Expectantias non reſpuunt: Quod tamen indiſtincte probandum haud erit: Si enim tacite, altero Conjugum inſcio, Conjux alii ſpem matrimonii fecerit, hoc utpote illiciti amoris & vitæ alterius conjugis inſidiandi occaſionem præbens, me- 144 rito culpandum veniet. *cap. ſuper hoc 3. & cap. ſignificaſti 6. X de eo, qui duxit in mat.* Quamobrem & matrimonium inter adulterum & adulteram Jure Can. & Praxi ſuſtinetur quidem, ſi tamen cum promiſſione Nuptiarum poſt obitum Conjugis, conſummatum fuerit delictum, irritum utique illud ipſum pronunciatur. *Dn. Brunneman. in Paratit. Weſenb lib. 23. Tit. 2. quaeſt. 22. Carpzov. Juriſp. Conſiſt. lib. 2. Def. 14. & 15.* Expreſſe vero ſi Conjugum alter de altero Exſpectativam elargiatur, v. g. daß ſeine Frau dieſem Heyrathen ſoll/ vel vice verſa 145

daß

daß Ihr Mann diese Ehlichen möge/& adsit illius partis, de qua disponitur, verus & legitimus Consensus, nihil impedit quo minus robore
146 suo gaudeat Exspectativa; Videntur enim summa erga Conjugem superstitem affectione & pietate ducti Exspectantem personam elegisse, ut quam ipsi curam, fidem & pietatem præventi fatis præstare non possint, illi, quorum probata integritas & virtus est, visceribus suis & cordis dimidio rependant. Quid autem si dissentiat alteru-
147 tra pars; Nulla obligationis vis dissentientem stringet; Nec enim suo facto matrimoniorum libertati præjudicare poterit conjugum alter, & inter invitos uti non matrimonium ipsum, sic nec matrimonii
148 spes contrahitur *l.22.ff.de Rit.Nupt.* Quod magis, præsertim quoad fœminas ampliandum est, licet metu adactæ consenserint; Coacta enim voluntas quamvis etiam voluntas sit, *l.21.ff.quod met.causa*, Non tamen est libera, non est spontanea voluntas, quæ in Conventione tali de rei essentia merito reputatur.

149 An viduæ vel filiæ Parochorum in Parochiis manendi, & à successoribus defuncti parochi in uxores ducendi Exspectantiam habeant, pro colophone hujus capitis adducemus: Vigere talem in Pomerania consuetudinem apud Dd. obvium est, & fidem facit *Matth. Steph. de Jurisd. lib.3.P.1.c.19.num.26.& seqq.* qui rationibus argumen-
150 tisque speciosissimis eandem propugnat. Verum uti irrationabilis est, nec jure nec æquitate fulta consuetudo, ita quoque in Pomerania, præsertim citeriori in usu & vigore esse desiit; Neque immerito: Obtruduntur enim hac ratione primo, pro dignis indigni, pro doctioribus indocti, qui non subterfugient munus, quod alii elegan-
151 tioris ingenii homines sub tali conditione subire respuunt. Secundo, Matrimoniorum libertas tollitur, dum aliter, quam cum onere concensionis thalami officium Pastoris ambire non licet; Si vero conscensus sit thorus, rixæ, scandala & disciplinæ Ecclesiasticæ laxamen-
152 tum sequuntur. Tertio, Patronis & Parochianis hac stante consuetudine præjudicatur; Nam eligere non possunt alium, nisi quem in matrimonium sibi elegerit superstes vidua, quin alias libertati ipsius contingeret præjudicium; & denique Ecclesiastica officia hoc modo in hæreditaria abirent, quod tamen Constitutionibus Ca-
153 nonum expresse prohibitum *C. Apostolica 8.q.1.* Nec movemur illo, quod ex V. Test. adducunt, statutum sc. fuisse, ut sacerdotum virgines elocarentur iis, qui de eadem tribu & familia fuerunt; Item jure

Roma-

Romano ſtipendiarium beneficium, mortuo milite, ejus uxori delatum *Nov. 53. 97. & 35.* His autem comparari milites Eccleſiæ; Vel 154
ſartorum & ſutorum Collegiis ſolenne eſſe, ne extra opificium ducant uxores; quidni E. & Paſtoribus tale quid licitum fore. Reſpondemus enim ad primum, Illud in veteri Teſt. ſpeciale fuiſſe, ne ſc. confuſio oriretur Tribuum ob futurum Meſſiam, quo jam in carne manifeſtato, ceſſat ratio, ideoque & diſpoſitio. In ſecundo compara- 155
tio ultra ſuos terminos non erit extendenda, nec aliud inde colligetur, quam annum Gratiæ Viduæ liberisque Parochialibus eſſe concedendum, de quo differentem vide *Excell. Dn. Præſid. Diſput. de Anno Grat. per integrum, præprimis vero cap. 3. num. 5.* In ultimo minus 156
honeſta eſt illatio ab ejusmodi opificiis ad ſacerdotium, nec Collegiorum placita extra Collegium quenquam ſtringere poſſunt *arg. l. fin. ff. de Jurisd.* Hinc nunquam Ordinarius loci vel Patronus hanc conditionem adjicere poteſt, ut ſubſtitutus in Miniſterio, defuncti Paſtoris viduam vel filiam in matrimonium ducat; ſi vero in liberam 157
ſubſtituti voluntatem, quæ ſola in matrimoniis attenditur, rejiciat, non improbandum erit conſilium, per ea quæ tradit *Frider. Balduin. de caſib. conſcient. lib. 4. c. 5. caſ. 10. Reinking. de R. Sec. & E. lib 3. claſſ. 1. c. 6. in fin. Conf. Steph. ſup. cit. loc. Paulum* Ritz *in Select. Nov. Part. 1. Sect. 1, th. 6. & ſeqq. Conf. Carpzov. Jurispr. Eccleſ. lib. 1. def. 42.*

Caput IV.
De Formali Exſpectantiarum.

SUMMARIA.

1. *Continuatio.*
2. *Forma Exſp. in quo conſiſtat.*
3. *Dies incertus eſt pro conditione.*
4. 5. *Pura promiſſio non valet.*
6. 7. *Dividitur formalitas.*
8. 9. *Intrinſeca forma in beneficialibus.*
10. *Canonici in herbis.*
11. 12. *Extrinſeca.*
13. 14. *Variæ & famoſiores literarum Executoriarum formulæ.*
15. *Quid in Acceptatione neceſſarium.*
16. 17. *Reliquiæ in Proteſtantium Canonicatibus.*
18. *Abſens per Procuratorem ſæpius recipitur, qui præſtat juram. in Principalis animam.*

1 EX rude hactenus delineatis quoad caussam Efficientem materialemque numeris, Exspectantiarum deductio aliqualis salva esse poterit; Quo vero plenius sibi constare queat eadem, formalis ratio, veluti plus lucis affusura, vocanda venit in partes; Hæc enim integrum fere absolvit punctum, dum quidnam peculiare habeat, & in quo ab aliis separetur Exspectantia, proxime oculorum aciei expo-
2 nit. Sita est autem illa in concessione conditionali, ut supra in descriptione idem ipsum professi sumus. Conditio autem denotat casum collatum in futurum, qui evenire vel non evenire vel aliter evenire possit *l. itaque 39. ff. de Reb. cred.* Et quamvis certo extitura sit dies mortis quoad præsentem possessorem, ut adeo non conditionatam sed in diem suspensam promissionem Exspectantia continere videatur; Tralatitium tamen in jure est, diem incertum pro condi-
3 tione haberi *L.75. ff. de Cond. & demonstr.* Ut ut enim certum sit præsentem possessorem moriturum, incertum tamen est; an vivente illo, cui concessa exspectantia, sit moriturus *L. 1, §. 2. ff. d. t. L. 9. C. de hered.*

hered. Instit. Et in tali conditione inter alia justitia Exspectantia-
rum consistit. Si enim pura foret promissio, turbarentur in sua pos- 4
sessione rerum Domini, & aufferretur iis jus, quod multis ab annis le-
gitimo & naturali modo jam erat quæsitum; Hinc ne inconstantiæ
injustitiæque maculam contrahant concedentes, quod præsenti tem-
pore non possunt, in tempus quo effectum sortiri poterit voluntas,
valide conferunt; Paria enim jure nostro sunt, facere aliquid tem- 5
pore licito & in tempus permissum prorogare *l. in tempus 62. ff. de hered.
instit. Magnif. Dn. Brunnem. ad d. l. n. 1*

Consideratur autem formalitas vel secundum naturam intrin- 6
secam vel extrinsecam. Priori modo semper una eademque in Ex-
spectantiis reperitur, dum suspensivum Conditionis effectum in o-
mnibus involvit, & non ante convalidatur, nisi morte illius, qui ob-
staculo erat, fuerit confirmata. Posteriori vero admodum variat, 7
dum in concedentium arbitrio positum manet, quocunque modo
negotium expedire velint, uti ex recapitulatione materiarum, in qui-
bus Exsp. constitui diximus, plenius apparebit. Sic in beneficiis 8
Ecclesiasticis, seu Canonicatibus Pontificiorum, intrinsecus specta-
tis. Exspectativam habens creatur quidem in Canonicum, non sta-
tim tamen habet præbendam, & quamdiu eam non consequitur, non
participat de distributionibus, nec secundum consvetudinem plera-
rumque Ecclesiarum. poterit exercere illa, qui sunt divini & Ecclesia-
stici officii, veluti cantare in choro, habere stallum in eo & vocem
in Capitulo; Nec retinet perpetuo illum Canonicatum collatum 9
per Papam, sed vacante præbenda distinctâ Canonicali, & collata di-
cto Exspectanti, ille consequitur novum Canonicatum intra nume-
rum, & primus redit ad Papam. Hinc est, quod intra nume- 10
rum non recepti, nec de juribus Canonicalibus participantes, vocen-
tur Canonici in herbis. *Dnn. de Rota decis. CCCCXLV.* Canonicus
enim sine præbenda est sicut Comes sine reditu, & Episcopus sine E-
piscopatu, qui vocantur *Nullatenentes & Abusivi Ludov. Gomes. Com-* 11
pend. Grat. Exspect. n. 32. 37. 38. Extrinsecus per literas, quas Gratia-
rum nomine insigniunt, Exsp conferre sveverunt; & olim quidem
tribus potissimum formulis, Monitoriis, Præceptoriis, & Exe-
cutoriis. Lapsu vero temporis ab usu recesserunt monitoriæ cum 12
præceptoriis, solis remanentibus Executoriis, nisi quod eo casu ad-

huc obtineant, quo Papa pro Moniali recipienda rescribit; Hæque posteriores tanto agmine ex ubertate sedis Apostolicæ hodienum emanant, ut grave Ordinariorum collatorum damnum & præjudi-
13 cium non semel ingeminent juris Canonici Dd *Gomes. dict. compend. n. 6. fol. in Tract. Tractat. 48.* Sub variis autem formulis hæ ipsæ Executoriæ prodeunt, quarum decem famosiores species ex professo
14 tractavit *Staphilæus Tr. d. Lit. Grat.* Prima est, quando creatur Canonicus in unâ Ecclesia tantum, cum reservatione Ecclesiæ conferendæ. Secunda, quando creatur Canonicus in duabus Ecclesiis, quæ contra dispositionem est juris communis Tertia, si creetur in tribus aut pluribus. Quarta, quando creatur Canonicus in una Ecclesia, & in alia datur, ut dicunt, ad Largam Quinta, Ut creatus Canonicus plura possit consequi præstimonia usque ad summam in literis expressam. Sexta, quando in duabus collationibus datur ad largam. Septima, pro Prælato. Octava, pro Regulari. Nona, pro pauperibus graduatis, quæ omnia fusius explicata videri possunt *ap. dict. Staphylæum per integrum.* Conf *Cardinal. Tusch. Pract. Conclus. Ju-*
15 *ris Tom. 3. conclus. 590. & 596. Tholos. Synt. Jur. lib. 17. c. 15. num. 7.* Acceptante Gratias exspectante, necessum habet ut sese præsentet Capitulo, & solvat taxas consvetas, vel de solvendo cautionem interponat, & admitti petat per ipsum capitulum; alias enim Exspectativa non habet effectum, nec postmodum fructus præbendæ nec distributiones capere poterit, etiamsi installatus sit, *Marcabrunus ab Anguillis cons. 16. n. 52. fol. 52.* Quod ipsum & in Protestantium Canonicatibus, præsertim quoad membrum præsentationem scil. nondum
16 ivit in desvetudinem; A Principe enim concessionem habens, sistit se primum Capitulo & pro admissione reverentes sollicitat præsentes;
17 Queis recipientibus, solenni Numinis invocatione jurat in Canones, & fidem, reverentiam & obedientiam serio promittit; Quanquam etiam si præsentiam sonticæ causæ intercludant, Absentis receptio non improbetur, & sic per Procuratorem specialiter instructum fi-
18 dem suam exsolvat, quale juramentum in Principalis animam moribus nostris satis approbatum est teste *Oldenkoppio in Tractat. de Jurament. in alterius animam*, qui tamen abusum illius juramenti merito taxat; quem refutare non ita pridem aggressus fuit *Dn. Gerh. Feltman. Tractat. de Promot. absentis & Juram. in alterius animam Duysburgi Anno 1667.* Conf. *Magnif. Dn. Brunneman Paratit.*

tit. Weſenb. lib. 12. Tit. 2. Quæſt. 27. Struv. Synt. Jur. Civil. Exerc. 17. lib. 12. theſ. 17.

In conceſſione Exſpectativæ ſuper feudo, extrinſeca ſolennitas 19
nulla requiritur; Ad hanc enim, cum ſit potius promiſſio de inveſtiendo, quam Inveſtitura, per jus vetus feudorum non opus eſt teſtibus, uti prolixe probavit *Hartm. Piſt Part. 2. Quæſt. 30. n. 5. & ſeqq.*
Quod multo magis in Pomerania procedit, ubi contra Jus Feudale 20
expreſſum ad propriam Inveſtituram neceſſarium non eſt, ut publice coram Paribus Curiæ, aut aliis teſtibus celebretur, Teſte exceptio-
ne majori, jam *piæ m. Conſultiſſimo Dn. Mevio Part. 4. Deciſ. 80.* Si ta- 21
men adhibita fuerit, Domino, majoris ſecuritatis ergo, Exſpectantem per traditionem annuli, enſis, baculi, vel alterius rei abuſive inveſtiente *Ludolph. Schrad. Tract. Feud. Part. V c. 2. num. 1. Roſenthal. concluſ. Feud. c. 6. concluſ. 3. num. 1.* ad melius eſſe non parum faciet; cum 22
ex eo fundamento duobus de eodem feudo conceſſionem impetrantibus, altero publice, privatim altero, vel neutiquam inveſtito, anterior poſteriori præferendus ſit; Publica enim ſolennitas licet in uſu non ſit, ſi tamen adhibita fuerit, effectu non deſtituetur, cum jus commune actibus publicis magis faveat, quam privatis. *Dn. Mev. ibid. num. 3. Dn. Brunneman. in Comm. Cod. ad lib. 11. C. Qui potior. in pignore.*

Intrinſeca forma ſemper in iis perpetua eſt, nec aliter niſi in con- 23
ſolidationis caſum confertur *Ludolphus Schrader Tract. Feud. Part. 3. c. 2. num. 19. Matth. Berlich. concluſ. Practicab. Part. 2 Conc. 54. n. 45. 46 & ſeqq.* Puram enim expreſſus removet Textus feudalis in *cap. clerico 2. F. 36. vſ. ubi v.* quo moti Feudiſtæ, nec eum caſum admittunt, quo 24
quis de feudo alieno pure inveſtitus, poſtmodum decedente poſſeſſore ſine liberis, ex eo capite ſucceſſionem urget, Dominumque ad tradendum feudum ſollicitat; Notum enim eſt Juridicum axioma:
Quod ab initio non valet, ex poſt facto convaleſcere nequit. *l. 29. ff. de* 25
R. J. Et confunderentur invicem pura & conditionalis Inveſtitura, inter quas tamen manifeſtum diſcrimen jura conſtituunt. *Hart. Piſt. part. 2. quæſt. 25 num. 13. & ſeqq.* Sed mens & intentio contrahen- 26
tium omnem hic ſcrupulum tollent; Licet enim verba pure formata fuerint, ſi tamen mens promittentis Domini & acceptantis Vaſalli in futurum caſum directa appareat, merito vim & robur promiſſio conſequetur *Struv. Synt. Jur. Feud. c. 7. th. 5. num. 2.* Conſolidatio 27

autem, in cujus casum confertur Exsp. ex Domini persona æstimari debet, revertente scil. utili Dominio ad Directum, ubi solida fit proprietas, & solidum iterum ac plenum dominium *§ 2 in fi. Inst. de usufr.*
28 Qoud variis sane modis contingere potest; Frequentissimus est Extinctio familiæ primi acquirentis, sublatis enim iis, qui prima Investitura ad Successionem vocati, sine dubio Feudum relabitur ad Dominum *Vultej. lib. 1. de Feud. c. 11. num. 6.*

29 Qua occasione tamen illud quoque expediendum, non ultimum semper in familia esse debere, in cujus secessum suspenditur conditio; Possessor enim de quo âgitur, etiam liberos habere potest, sic enim existit demum conditio ipso possessore cum liberis sine here-
30 dibus demortuo; Neque hac ratione præjudicium contingit liberis, in eum enim eventum collata Exspectativa, quo liberi, quo successo-
31 res quoque decesserint Nec quod tantopere urget *Glossa, Andr. ab Isernia, & Matth. de Afflict. in cap. si quis investiverit, item in cap. moribus* spem scil. præsumptam & proximam adesse debere in contrarium obstat: Sæpe enim speramus ea, quæ post longum temporis intervallum demum contingunt, quæque in Textt. mortem solum Pos-
32 sessoris respiciunt, exempli gratia dicta sunt; Ea vero quæ ratione frequentioris usus apponuntur, dispositionem regulariter restringere non solent. *August. Barbosa Axiomatt. Lib. 5. cap. 28. axiom. 8. Vid. Hart. Pist. d. quæst. 25. num. 20. Vult. 1. F. 7. num. 68. Struv. d. th. 5. num. 10. Matth. Berlich. sup. cit. conclus. num. 51. 52. & seqq.* ubi tres potissimum casus in hac quæstione format. Nonnunquam utile Dominium in
33 feudo directo iterum coadunatur per præscriptionem. & sic incertam habens Exspectativam inter feuda, quæ Domino primum aperientur, feudum præscriptione quæsitum, tanquam Domino apertum, recte petit; quod qua ratione fieri possit ex præscriptionis modo addiscendum est, quem dum hoc loco tangere nimis prolixum foret. videndi de illo *Rosenthal. conclus. feud. c. 6. conclus. 82. Struv. c. 15. th. 3. num. 4. 5 6. 7. & seqq. Borcholt. de Feud. c. 7. rubr. de Præscript. num. 12.*
34 Similiter per consolidationem conditio existit. si vasallus vel directo, vel per indirectum contra Dominum delinquendo, feloniam committat. Quod tamen simpliciter ita non procedit; Nam delinquens
35 aut relinquit Liberos, aut non; Priori casu, quamdiu in Vivis remanent liberi, conditio extitisse dici non potest: In mortis enim eventum concessum est feudum, ideoque quamdiu superfuerint successo-

res morte vacans illud non reputabitur, quia ſibi retinet Dominus ob deliĉtum; nec ad tradendum tenetur quia quod devenit in eam cauſam, à quâ incipere non poteſt, extinguitur & pro non adjecto habetur *§.14.in fin Inſt. de Legat. Barboſ. lib.10. axiomm.c.10.axiom. 3.* De- 36
ficientibus vero liberis purificatur conditio, & in eum ſtatum jam delabitur res, à quo initium habere poterit *§.2. Inſt. de Inutil. Stip.* Modo tamen non adfuerint Agnati; Illis enim præſentibus, repellitur Exſpectans, & per rationis identitatem quæ in liberis aderat, effectu deſtituitur conditio. Quoad poſterius membrum ſubdiſt. inter con- 37
ditionis eventum expreſſum & non expreſſum; Si expreſſa fuerit conditio, utpote, ſi poſſeſſor feudi deceſſerit absque herede maſculo, Titius feudum capiat, aliter aperto feudo, Exſpectanti non debetur idem *Ludolphus Schrader. ſub. cit. part.3. c.2. num. 50.* Cauſa enim ex 38
una datum, ſi illa cauſa non ſequatur, revocatur *l. 1. ff. de condict. cauſa dat.* quia cauſa eſt proxima conditioni, & ſicut neceſſum eſt purificari conditionem, ſic & cauſam *Federic. de Senis. conſ. 164. Licet ſemper in pr. Barboſ. d.c.10. axiom. 11.* Nec obſtat Juris Civilis diſpoſitio, ubi 39
conditio, in unum caſum concepta, intelligenda eſt etiam de alio, uti heredis inſtitutio collata in unum caſum, trahitur ad ſimilem *Conſultiſſ. Dn. Brunnem. Commentar. in Pand. ad L. Titius 25. §. Lucius 1. de liber. & poſth. hered. Item Com. Cod. ad L. ſi mater. 3. de Inſtit. & Subſtit.* Reſp. enim (1.) Expreſſi major eſt vis quam taciti *l. nunquam ff. de Condit. & Demonſt. L. expreſſa 195. ff. de R. J.* (2.) Fallit juris Civilis præſumptio, 40
ubi diverſa ratio dari poteſt caſus expreſſi & non expreſſi; Hic enim Dominus ſibi in alium caſum emergentem reſervare voluit jus occupandi feudum, nec ſimilem ſubintellexit; Ibi vero de mente conſtat, quod voluerit alium caſum omiſſum ſub expreſſo comprehendere. *Struv. ſup. cit. c.7. th.5. num. 8.* Si vero non expreſſa, aut expreſſa qui- 41
dem, ſed hæc vel ſimilis clauſula inſerta fuerit: Inveſtio Te quocunque modo ad me devolvetur feudum. in omnem conſolidationis caſum admittendus erit Exſpectans. *Schrader. cit. num. 50. Berlich. Concluſ. 54. num. 66.*

In Civilibus Exſpectantiis formale intrinſecum itidem non 42
prius exſerit ſeſe, quam illo, in cujus caſum collatæ erant, fatis conceſſo. ubi tamen probe attendendum, Habiline, an adhuc dum Habilitando data fuerit Exſpectativa: In priori caſu exiſtente officii vacantiâ, exiſtit quoque conditio, in poſteri non item, quod jam

44 cap. præced. circa finem tetigimus; Licet enim vacantiæ extiterit
casus, si tamen habilem sese & dignum eo munere nondum reddide-
rit, deficit conditio; In forma enim specifica adimpleri debet eadem,
l. quæ heredi 44. & §§. seqq. L. Mevius 55. ff. de condit. & demonst. Aymo
45 *Cravetta cons. 796. num. 5.* & ideo ante implementum non oritur *l. ce-*
dere 213. ff. de V. S. Barbos. lib. 3. cap. 43. axiom. 1. Hinc sæpius, etiamsi
vacuum jam sit officium, ejusmodi Exspectantiæ conceduntur, cer-
to scil. tempore determinato, intra quod comparanda habilitas: Cu-
jus rei egregium exemplum Præpotentes Fæderati Belgii Ordines,
hoc ipso Anno, mense Junio exhibuerunt in Celsissimo Principe
46 Arausionensi: Hujus enim authoritatem cum maxime imminu-
tum irent Hollandi, neque majoribus suis eundem æquatum vellent,
Seelandis semper contrarium urgentibus, tandem hoc anno con-
47 venerunt, ut æque Supremus Reip. & Militiæ Præfectus crea-
retur, modo intra minorennitatis annos habilem se tanto fastigio red-
diderit; Verba Relationis fide dignæ, de tertio die Junii Anno 1670.
48 cum rem graphice ob oculos ponant, huc asscribere lubuit: *Op Gi-*
steren is de langh van gesprooken introductie van sijn Hoogheydt den Heere
Prince van Orangie in de Raedt van Statē geschiet, ende geresolveert, dat den
Heere Prince van Orangie van nu af vergunt sal werden de Sessie in de Raedt
van State, met een sortabel Jaerlijckx Tractament, omme aldaer geimbueert
te werden met de vereijschte Kennisse van Militie, Politie en de Finantie:
Ende ingevalle eenigh Leger van den Staet de velde gebracht mochte wer-
den, dat in sulckenkas denselven Heere Prince mede in Politycque Qualiteyt,
49 *t' zy als daer toe uyt de gemeldten Raed gecommitteert, ofte andersints de*
Campagne ende Deliberatien van de Gedeputeerden van haer Hoog Mog: te
Velde sal by woonen, omme also meer en meer bequaem ghemaeckt te wer-
50 *den tot het bedienen van het Capiteynschap. Generael, te Water ende te*
lande, als den Staet hem naemals daer toe soude mogen goet vinden te verki-
sen; ende soe wanneer den Hoogh gemelden Heere Prince den ouderdom van
22. Jaren sal hebben geadimpleert, dat als dan by de gesamentlycke Bontge-
noten, met een goede Harmonie gedelibereert sal werden over desfels be-
quaemheydt tot het bekleden van dr Voorsz hooge charges, en geresolveert, of
met de dienst van't Landt deselve op syne Hoogheyt soude konnen ende be-
hooren geconfereert te werden &c.

Ad for-

Ad formam concedendarum Exſpectantiarum porro & hoc ſpectat, quod vel nuda promiſſione officii, vel feudi vacantis ſe obligaverit Dominus; vel in caſum vacantiæ ſimul poſſeſſionem Exſpe- 51
ctanti conceſſerit. Quæ ipſa in effectu multum differunt, uti cap. 52
6. expediendum; Priori modo Exſpectantia conceditur, ſi ſpes alicui fiat in caſum vacantiæ, quod ipſi vel officium vel feudum conferendum ſit E. G. So verſprechen wir Titio hiemit in Gnaden/ daß 53
im Fall einig ihm anſtändiges *Officium* in unſern Landen erlediget werden möchte / wir ihm darzu vor allen andern beförderlich ſeyn wollen. Vel, daß wir ihn mit den erſten an uns verfallenen Lehn vor allen andern belehnen wollen. Poſteriori vero caſu non nuda Exſp. conceditur, 54
ſed ſimul jus aliquod reale in caſum vacantiæ, quod vel ſtatim exiſtente caſu vacantiæ pro poſſeſſore haberi debeat, vel propria authoritate poſſeſſionem ipſe arripere, vel officium promiſſum ſuſcipere liceat. Sic in caſu exſpectantiæ ad officium aliquod conceſſæ, hæc 55
formula foret: So Titius oder Mevius mit Tode abgehen/ und alſo im Rath-Hauſe eine Stelle *vacant* wurde / Sempronius hinwiederum zu ſolcher Raths-Stelle angenommen /und beſtellet/ und ihm hierunter 56
niemands/wer der auch ſeyn möchte / vorgezogen werden ſolle; Geſtalt wir in ſolchem Fall ihn zu einem Glied des Raths beſtätigen/ und Bürgermeiſter und Rathmannen unſerer Stadt N. hiemit gnädigſt befehlen/ſich hiernach gehorſamſt zu achten / *exiſtente caſu vacantiæ* mehrbemeldten Sempronium als einen Raths-Herrn zu *introduciren*, und ihn daran im geringſten nicht behinderlich zu ſeyn/ ꝛc. Quod ſi feudi Exſpect. conceditur, ipſa Inveſtituræ conceſſio in talem caſum ſimul 57
fieri ſolet, addita melioris validitatis cauſa clauſula Conſtituti Poſſeſſorii E. G. geſtalt Sempronius hiedurch *in Caſum vacantiæ* mit vorbemeldeten *Fendo* belehnet wird/ der Geſtalt/daß ihm alsdann frey ſtehen 58
ſoll das erledigte Lehn *propria authoritate* zu *occupiren*, Er auch alſobald nach Erledigung deſſen *per Conſtitutum poſſeſſorium* vor einen Beſitzer deſſelben ſolle gehalten werden/maſſen die *Poſſeſſio* an ihm auff ſolchen Fall hiemit wircklich *transferiret* wird ꝛc. Quæ clauſulæ inſignem effe- 59
ctum pariunt; Partim, ut novo Domini concedendis mandato non opus ſit, partim ad alium, qui poſſeſſionem forte prius adeptus, excludendum; Hinc cauti eſſe debent qui ejusmodi Exſpectantias impetrant, ut ſemper curent iisdem inſeri tales clauſulas, ex quibus colligatur Principem ipſis Dominium vel poſſeſſionem ſine traditione

60 concedere voluisse. Hac enim ratione tuti esse possunt, ne alius præoccupando eorum jus intervertat, uti bene monet *Hart. Pist. Illust. Quæst. Part.2. Q.29. num.26.* Quotiescunque enim feudi primum vacantis exspectantia ita concepta est, ut statim Exspectans sine alio facto pro possessore haberi debeat, tunc per talem concessionem excluditur, quisquis postea in feudi possessionem venerit, scilicet ob anteriorem possessionem alteri ex Concessione Domini prius quæsitam. *Jason. in L. Quoties 15. num.31. C. de Rei Vind.. Dn. Mev. Decis. Wism. Part.4. Dec.79. num.6.*

CAPUT V.
De Finali Exspectantiarum in Genere.

SUMMARIA.

1. *Connexio.*
2. *Tribuunt Jus ad rem Exspp.*
3. 4. *Exempla in Canonicatibus.*
5. *Habent praeminentiam considerabilem Canonici.*
9.7. *Ex alio fundamento Reges creati sunt Canonici.*
8. *An Exspectantia operetur praecedentiam.*
9.10. *Controversia eapropter inter Duces Vinarienses & Altenburgenses.*
11.12. *Dd. à parte Vinariensium.*
13. *Habuerunt enim jus ad rem non in re.*
14. *Applicatur officiorum Exspp.*
15.16.17. *Salvatur praecedentia Canonicorum & Coadjutoris, distinctione inter administrationem & nudam spem.*
18. *Extenditur ad alia officia.*
19.20.21.22.23. *In feudis jus ad rem quoque pariunt, ideoque divertunt à simultanea Investitura.*
24.52. *Simultanee Investitus renovat Investituram, non Exspectans.*
27. *Exemplum cautelæ superfluæ ex Archivis & Protocollis Pomeraniæ Regiminis.*
28. *Ser Elect. Brandenburgensis.*
29.30. *Jus ad rem transit ad heredes.*
31. *Idque conveniens est, juri feud. & Civil.*
32.33 34. *Diluitur objectio.*
35. *Cessat spei transmissio in officiorum Exspp.*
36. *Ratio.*
37 38. *In feudalibus heredes succedunt in stirpes & quare.*
39. *Alienari possunt Exspp.*

REstat ut videamus quod primum quidem in intentione, in Executione vero semper ultimum esse solet, Finem scilicet sive Effe- 1
ctum; Quem cum Exspp. amplissimum & late diffusum habeant, operæ pretium duximus, in genere primum, postmodum vero quoad Actiones in specie breviter eundem adumbrasse. Commune est 2
Exspectantiis, quod Jus ad rem tribuant, seu facultatem, quâ ad rem præstandam, h.e. dandum aliquid vel faciendum, aut aliquando patiendum, personam ex facto suo quis habet obligatam *l. 3. pr. & l. 25. ibid. ff. de O. & A. Dn. Brunneman Paratit. Wesenb. l. 1. Tit. 8. quæst. 15. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. III. th. 89.* Exemplo sint beneficiorum 3
seu Canonicatuum Exspectantiæ, ubi creato Canonico confertur quidem plenum jus in Canonicatum, sed taliter creatus non dicitur consequutus jus in præbendam, sed ad præbendam *Job. Wammes. de Jur. Pontif. cons. 16. num. 33. & cons. 345. num. 5* ut ut salvas habeat interim distributiones; quia secundum Jus commune Pontificium, non 4
consvetudinem plerorumque locorum uti cap. præced. asseruimus, per creationem acquirit illa, quæ sunt divini & Ecclesiastici Juris, cantare in choro, habere stallũ in eo &c. ut ut etiam confestim habeat præ reliquis inferioribus Clericis præeminentiam, quam adeo considerabilem testatur *Gomes. sup. cit. Tr. n. 34.* ut multi etiam Reges Ca- 5
thedralium Ecclesiarum se creari curaverint Canonicos, veluti Rex Franciæ in Ecclesia S. Hilarii *Abbas in c. exstirpanda §. quod vero d. præbend.* Licet illâ dignitate fortassis non indigebunt viri Principes, quin 6
veriorem suggerat opinionem *Dn. Schockius* dum hac ratione ad Canonicatuum primordia reflectant, & antiquum jus sibi servari voluisse eosdem, testetur *lib. de bon. Eccl. Sect. 2. c. 3. p. 255.* Et ex hoc fun- 7
damento Rex Romanorum in Capitulo Aquisgranensi, Imperator Romæ in Lateranensi, & Rex Franciæ in Rhemensi Ecclesia Cano-

nici ſunt *Gudelin. de Jur. Noviſſ. l. 8. c. 8.* Rex Galliæ in tribus amplius Eccleſiis Canonicus audit, nempe in Turonenſi ad S. Martinum, Andegavenſi ad S. Mauritium, & in Cabilonenſi *Chopinus lib. 1. Tit. 4. de ſacr. Polit.*

8 Dum tamen diximus præeminentiam quandam concomitari Exſpectantes Canonicos, quæri poſſet, Anne Exſpectantiæ conceſſio ad vacaturum officium præ aliis quoque tribuat Προεδρείαν vel Præ-
9 cedentiam? Inſignis & famoſa eo nomine ante annos aliquot agitata fuit controverſia, inter Duces Saxoniæ Vinarienſis & Altenburgenſis Lineæ; JOHANNES PHILIPPUS enim Altenburgenſis, cum natu minor eſſet Patrueli JOH. ERNESTO Vinarienſi, de ſedis prærogativa litem intendit, idque propterea, quod honoratior, major & dignior eſſet ob Exſpectantiam Johanni Gvilielmo Anno
10 1572. in Electoratum Saxoniæ factam. Disputatum tunc fuit pro & contra; & ut ut Anno 1607. pro Altenburgicis à Cæſare pronunciatum fuiſſe, Vinarienſibus tamen in contrarium proteſtantibus,
11 dicatur, *Philipp. Jacob Speener Sylloge Genealogico Hiſtor. pag. mihi 123.* poſtmodum quoque cum morte Joh. Ernesti & Friderici Ducum Saxoniæ Lineæ Vinarienſis. qui ætate omnibus Lineæ Altenburgenſis Principibus majores fuerunt, controverſia exſpiraverit, non immerito tamen ex ductu Juris à parte Vinarienſium Dd. ſemper ſteſtiſſe viſi ſunt; Senior enim & major ætate erat Vinarienſis, Seniori itaque jus ſuccedendi in Electoratum, & propterea fundatum jus præcedentiæ competebat ex *A. B. Caroli IV. cap. 7. & ex declaratione ejusdem Caroli aliisque Bullis à ſeqq. Impp. confirmatis.* Altenbur-
12 genſis vero mera nitebatur conditione; Conditio vero, niſi exiſtat, nihil proficit *l. legata 41 ff de cond. & Demonſt.* Neque ipſa verba Exſpectantiæ Ducem Joh. Wilhelmum conſtituebant Electorem, neq; filio primo naſcituro jus primogenituræ aſſignabant, ſed Exſpectantiam, ſpem, generaliter & conjunctim omnibus ſucceſſoribus attribuebant; Jam vero aliud eſt ſpes, aliud res, aliud Potentia, aliud
13 actus ipſe; Effectus præcedentiæ nullo modo ſequi poterat ante cauſam. conditionem ſcil. impletam. Nondum enim habeat jus in Electoratu, ſed ad Electoratum, adeoque jus ad rem, non in re. Vide plenius hæc ipſa deducentem *Jacob. Andream Cruſium Tractat. de Praemin. Seſſione & univerſo jure* Προεδρείας *lib. 4. cap. 9. per integrum.* Et hoc
14 decidendi fundamentum omnibus officiorum Exſpectantiis appli-

camus, ut in ſpe viventes neutiquam prætendere poſſint præcedentiam, quam habent realiter munere ſuo fungentes. Sed hac ratione quomodo ſalvabitur ante dicta Canonicorum præeminentia, item Coadjutoris, cui, ſi cum ſpe ſucceſſionis datus fuerit, locum Epiſco- 15
pi attribuunt, & inſtar Epiſcopi venerandum communiter aſſerunt Dd cum & illi ſaltem jus ad rem, non in re habeant? Diſtinguimus inter Exſpectantiam nudam, & conjunctam cum onere gerendi ſive adminiſtrandi; Hæc, non illa jus Προεδρίας ſimul attribuet; Sic Ca- 16
nonici intra numerum nondum recepti, exercent officia veri Canonici, cantant enim in choro, habent ſtallum in eo &c. Coadjutor omnibus Epiſcopi muneribus fungitur, ideoque dum pleniſſime ſurrogatus eſt participat quoque de natura ejus, cui ſurrogatus; & per- 17
ſonarum quidem diſtinctio aliqua eſt, dignitatis vero non alia, quam quo differt præſens a futuro, qui enim nunc dicitur ſucceſſor, poſtmodum erit Epiſcopus *Conf. Joh. Jacob. Speidel. in Specul. Jurid. Polit. Hiſtor. ſub voce Coadjutor.* ubi multis rationibus hanc Coadjutoris præ- 18
cedentiam propugnat. Pari ratione etiam quoad alia officia diſtinguendum; ſcil. an alicui ſpes facta ſaltem de officio in caſum mortis alterius; An vero præter illam Exſpectantiam ſimul alteri ſit ſubſtitutus; hic enim quia non in nuda ſpe ſe fundat, ſed ſimul in actuali adminiſtratione, confirmanda ſaltem poſt mortem, merito inferioribus præferendus.

In feudis jus ad rem itidem pariunt *Struv. Synt. Jur. Feud. cap. 7.* 19
th. 7. in fin. Ipſa vero feuda neutiquam ſtringunt; Unde manifeſta naſcitur differentia inter hæcce & ſimultaneam Inveſtituram; Hæc 20
enim jus quoddam reale concedit; illæ vero juris nihil in feudo tribuunt, nec conſcio poſſeſſore, uti ſimultanea inveſtitura fieri debet, conceduntur *Ludov. Fachſius in Conſ. poſt Hart. Piſt. quæſt. 20. num. 22. & 25.* ipſe *Piſtoris quæſt. 31. num. 5.* Inde diverſus quoque ſequitur Effectus; Simultanea enim Inveſtitura, ipſo jure mutuam ſeu recipro- 21
cam obligationem, & jus invicem ſuccedendi operatur, dum interaliter inveſtitos quædam quaſi ſocietas ac communio circa ſucceſſionem introducta; ac propterea nec juri Naturæ conſentaneum eſſe 22
videtur, ut unus ſimultaneam Inveſtituram, quam cum alio habet, retineat, ſocium vero, ab eodem jure, quod in bonis ſuis viciſſim habuit, ſine facto & conſenſu ipſius repellat, quod Leoninæ ſocietatis præ ſe ferret ſpeciem, de jure minime probatam *Facult. Jurid. Lipſ. in*

23 *conſ. poſt. Hart. Piſt. quæſt. 20. num. 22. & ſeqq.* Conceſſio vero in caſum
morituri Vaſalli ſeu Lineæ alterius deficientis nihil tale producit, ut
ſtultitiæ notam merito incurrat, quisquis a jure ſimultaneæ Inveſti-
turæ, ceu multo firmiori & pinguiori recedere, ac minus utilem titu-
lum nudæ Exſpectativæ præeligere velit *arg. l. cum de indebito pr. ff. de*
probat & præſumt. l. fin. in fin. princ. C. arbit. Tutel. Sic ex hac Inveſti-
24 tura ſimultanea dum jus quoddam perfecte partum eſt agnatis, ut
conſervetur illud, non inique fit, Inveſtitum ad renovationis peti-
tionem adigi; In caſu vero vacaturi feudi omnis Inveſtituræ effectus
25 in futurum incertæ conditionis eventum differtur, nec ullam interim
habet Inveſtituram, cum id quod ſub conditione poſitum eſt, non
dicatur eſſe in diſpoſitione *l. ſi quis ſub condit. 8. ff. ſi quis omiſſ. cauſa Teſt.*
Dn. Brunnem. parat. Weſenb. lib. 28. Tit. 5. quæſt. 32. Conf. Berli l. concluſ.
26 *54. num. 55.* Quanquam ut cautela ſuperflua excuſari poſſit, quan-
do per apprehenſionem pilei, gladii, vel alterius cujusdam ſigni pro-
miſſionem factam, & jus ad rem natum eſſe, in præſtandis homagiis
quoque indigitatur, veluti ex Archivis & Protocollis Illuſtriſſimi Po-
27 meraniæ Regiminis de *anno* 1616. patet, in ultimo præſtito Sereniſſ.
Ducibus homagio, Pomeraniæ tunc temporis Cancellarium,
Niclauß von Ahnen/ Exſpectantiam à Celſiſſimo Principe in feudum
Dazow habentem, ex hoc capite pileum cum Agnato, Feuda Dazo-
vienſia renovante, tetigiſſe, ſicuti pluribus eadem videri potuerunt;
28 ut & ipſum homagium in Archiepiſcopatu Magdeburgenſi eo tan-
tum nomine exegit; Ser. Elector Brandenburgenſis, quo ſecurior
de futura poſſeſſione poſt obitum moderni Celſiſſimi Adminiſtrato-
ris redderetur.

29 Debile aliquomodo diximus Jus ad rem, quod Exſpectans ha-
bet; Juxta nonnullos tamen, propria authoritate poſſeſſionem oc-
cupandi tribuit facultatem, de quo cap. ſeq. nec ita ſtricte ſumen-
dum eſt illud, ut oſſibus ipſius accipientis tantum inhæreat, ſed etiam
ut Exſpectante demortuo ad hæredes, & omnes ex ipſo deſcenden-
30 tes maſculos continuâ ſucceſſione propagetur; Quæ Praxis & Jure
Civ. & in ipſis Feudorum conſvetudinibus eſt fundata; Hic enim
1. F. 9. expreſſe dicitur, Inveſtitorem & Inveſtitoris hæredes teneri In-
veſtito, vel hæredi ejus, veniente tempore ſeu conditione Et ibi no-
31 tiſſimum eſt, Omnem contractum, conventionem aut pactum ita
celebratum intelligi, ut hæredes includantur, m. eorum mentione

non facta, sive obligatio consistat in dando, sive in faciendo *l. Veteris 13. C. de Contrah. & Committ. Stipul. Donell. Enucleat. lib. 12. c. 17. lit. K. Gaill. l. 2. Obs. 2. num. 10. Dn. Brunnem. in not. ad all. l. 13.* Ex conven- 32
tione autem plerumque dependet Exspectativa: Et quamvis in Testamento per legatum relinqui possit, uti supra cap. 2 assertum dedimus, & propterea Legatorum qualitatem induere videantur, quæ mortuo ante conditionis existentiam vel ante diem incertum Legatorio, in hæredes non transeunt *l. unic. §. 7. C. de caduc. toll.* Ob id ta- 33
men non perdit officium suum decisio, siquidem & jure Civ. consentiunt Dd. Quoties ex ipsius rei legatæ natura provenit conditio, suspendi quidem obligationem, non tamen impediri legati transmissionem *Dn. Struv. Synt. Jur. Feud. c. 7. th. 8. num. 2.* Quod in nostro pro- 34
posito vel ideo minus dubium, quia conditio ista ita necessaria est, ut si absque ea feudum pure concedatur, non valeat Investitura, quemmodum cap. anteriori ostendimus. *Conf. Hart. Pist. quæst. 25. n. 29. & 30.*

Cessat autem spei hujus transmissio in Exspectantiis officiorum sive Ecclesiasticis; In iis enim cum restricta maneat intentio 35
ad certam personam & certas ejusdem qualitates transitus ad alias fieri nequit. *per leg. inter Artifices 31. ff. de solut. d. l. un. §. 9. C. de caduc. toll. Lud. Roman. sing. 670.* Industria enim persona electa est, quæ 36
in dubio in omnibus negotiis intelligitur, in quibus vertitur ingenium & ars *Dn. Brunneman. in Comm. ff. ad l. 31. & Comm. Cod. ad §. 9. d. l. un.* Hinc dum non æqua dexteritate & habitudine peragere possint hæredes, ad quæ ex inquisitione idonei dicti defuncti, à jure feudali merito hac in parte faciendus erat secessus. *Conf. l. 13. ff. solut. matr. L. 2. ff. si mens. fals. mod. Carpz. Part. 3. C. 11. def. 5. n. 5. Barbos. Axiom. lib. 2. c. 5. axiom. 10.* Hæredes autem in feudali Exspectativa si plures 37
& diversarum linearum sint, successio fit in stirpes, non in capita, quod tribus rationibus stabilire nititur *Berlichius Conclus. 54. pag. 378.* (1.) Quia in descendentibus successio datur in infinitum tantum in stirpes, non in capita *Schneidewin ad tit. Inst. de hæredit. quæ ab intestat. Tit. de success. filior. nat. & legit. simul. num. 12. & seqq. num. 10. & seqq.*
(2.) Quia hic liberi non aliter quam jure Repræsentationis venire pos- 38
sunt, Qui autem hoc jure veniunt, in stirpes succedere solent *Auth. in success. c. de suis. & legit* (3.) Quia eadem successio in simultanea Investitura obtinet, quæ parum differt ab Investitura de caducitate feudi, quas probat quoque & repetit *Dn. Struv. cit. c. 7. th. 8. in fin.*

39 Effectus item Exspectantiarum insignis est, quod a possessoribus nonnunquam alienari, & quovis titulo ad alium transferri pos-
40 sint: De Feudalibus forsan dubitaretur; siquidem ut ipsius Feudi alienatio non procedit *per cap. Imperialis 2. F.52. & c. Imperialem 2.F.55.* ita nec Exspectantiarum, dum utrinque ratio militat eadem, ne scil. invito Domino novus obtrudatur Vasallus *c. si duo fratres de novo 2.*
41 *F.12.* Verum nec nos universaliter loquimur, sed vel Dominum in actum alienationis consentientem supponimus, vel initio concessionis generaliter eundem consensisse, ut cedendi vel transferendi liberam habeat potestatem, quo casu, uti ipsius feudi valet alienatio *per*
42 *textus modo allegatos*, ita quoque Exspectantiarum. De Canonicatuum Exspectativis idem docet Praxis; & utut Regula Canonistarum sit, Beneficia non cedi, nec ex gratia alicui concessum, in alium transferri debere, *per cap. petiisti l. 7. quæst. 1. c. sane X. de privileg.* ubi scriptum est, indignum esse sibi aliquid sua autoritate præsumere, quod Romana Ecclesia alicui, certa ratione inspecta, singularibus voluit benefi-
43 ciis indulgeri, *Jacob Menoch. Cons. XC. num.88.* In tantum tamen canones eadem labefecit, ut vendant non modo jus suum Exspectantes si titulo oneroso quæsiverint, utpote quo pinguius aliquid quoad alienationem habere videbantur, sed maximè etiam si titulo lucra-
44 tivo gratias sibi tales comparaverint; Latissime enim Principum beneficia interpretatur juxta *l. 3. ff. de Const. Princ.* & cum ipso ait Imperatore ex *l. 2. C. de præposit. agent. in reb. lib. 12. tit. 21.* perabsurdum perque temerarium esse, suæ pietatis liberalitatem quenquam astuta interpretatione non ad augmentum, sed ad diminutionem convertere.
45 Commodius autem & magis proficuum nonnunquam Exspectanti accidit, impræsens occasione beneficii recipêre pecuniam, quam lon-
46 ga Exspectatione diu torqueri; Modo tamen & hic debita requisita concurrant, cuique ceditur beneficium, æque sit habilis ac idoneus; Sic dum pro lege observatur, ut Studiis operam navando triennium in Academiis exegerit Beneficiarius, in quem transfertur Exspectati-
47 va, non nisi similis conditionis, erit admittendus. Idem est in permutatione; Nec obstat quod *Federic de Senis Quæst. 13. & D. Joh. Nicolai Delphinas de Jur. Patron. l. 2. n. 165. pag. m. 1013. Paris. de Resign. l. 2. Q. 10.* allegent, ob id permutari non posse beneficia, quia jus habens ad beneficium, non dicatur habere beneficium, cum tamen res quæ permu-
48 tantur, fieri debeant permutantium *l. 1. ff. de rer. permut.* Resp enim,

aut Exſpectantia cum Exſpect. permutatur & nihil obſtaculi ſubeſt quod permutationem impediat; aut Exſpectantia cum beneficio, & ſic permutant invicem quod habent, cum alter ſibi imputet, quod pinguius jus pro minus pingui reddiderit.

Frequens Exſpectantias alienandi Modus eſt Renunciatio, quæ fit vel expreſſe, quando ſcil. in favorem alterius; jure noſtro nosmet privamus, quod quilibet facere poteſt, *per l. ſi quis in conſcribendo 29. C. de pact. l. pen. C. de Transaction.* vel Tacite, incompatibile poſtea beneficium adquirendo; quod quamvis moribus noſtris vix contingat, cum in tribus etiam Eccleſiis ſimul non prohibeatur quis eſſe Canonicus, ob ceſſantem rationem, quia non tenentur reſidere; apud pontificios tamen adhuc ſtricte obſervatur, triplici Canone *clem. ſcil. Gratiæ de Reſcript. c. Execrabilis de Præbend. in extravag. Communib. c. de multa de præbend. & dignit.* incompatibilium accumulationem taxante. Sic Clericus in hac vel illa Eccleſia Canonicatus beneficium Exſpectans poſtmodum à Conſiliis Principi futurus, exſpectativæ ſuæ renunciaſſe cenſetur *Wameſ Conſ.16 Vol.1.num.9 25. 27. & 32* Alia quæſtio eſt, quæ tamen cum ſæpius in foro agitetur, hac 52
occaſione quoque tangi merebatur, An ſcil Poſſeſſor beneficii renunciare beneficio, vel vendere idem poſſit in Exſpectantiis præjudicium? Verior & communis eſt reſponſio quod non; Ut ut enim 53
alienare & quovis modo reſignare Canonico, In beneficiis præſertim irregularibus juſto tempore & conſenſu ſuperioris, liceat; clauſula tamen ſemper attenditur, Modo non fiat in fraudem habentis Exſpectativam *Petr. Gammarus de permut. beneficior. c. 2. num. 44. Vol. 15. Tract. Tract. Dn. Brunneman. Commend. Pand. ad L. Filiæ meæ 59.* 54
ſolut. matrim. Hinc ſi de fraudulenta alienatione certo conſtet, vel indiciis quibusdam gravatus ſit poſſeſſor, quin prohibitioni alienationis & Purgatorio juramento locus ſit, nulli dubitamus, & ita audivi Ampliſſimam hujus Univerſitatis Facultatem Juridicam reſpondiſſe *d. 6. Februarii. Anno 1669. Conf. Flamin. Pariſium de Reſignat. benef. lib. 2. Quæſt. 10.*

CAPUT VI.
De Finali Exſpectantiarum in Specie.

SUMMARIA.

41. *Contra extraneos agitur ex duplici fonte.*
43 44 45. *Quibus caſibus nomine prioritatis adverſus eos fundata intentio.*
46. *Applicatur beneficialibus.*
47. *Interdictum adipiſci poſſeſſ. hic locum habet.*
48. *Ex poſſeſſione remedia dantur poſſeſſoria.*
49. *Poſſeſſio duplex proponitur.*
50. *Conſtitutum poſſeſſorium.*
51. *Quid operetur.*
52. *Facti poſſeſſio.*
53. *Quid tribuat ſecundum Dd.*
54 55. *Mitior opinio.*
56. *Terminus actionum à quo.*
57. 58. *Ad quem, tam in beneficialibus quam feudalibus.*

GEneratim breviter expendimus inſigniores Exſpectantiarum ef-
fectus; Eadem nunc brevitate in ſpecie videbimus Actiones, 1
queis poſſeſſores ad judicialem juris ſui perſecutionem mactare ſolent;
Eas deprehendere licet in duplici differentia: Vel enim ſtringuntur
adverſus Dominum, vel in ipſos Extraneos ſive Competitores.
Adverſus Dominum, ſeu concedentem Exſpectantiam, datur 2
ei, cui facta promiſſio, Actio perſonalis; eundem enim ex conventione
ſibi tenet obſtrictum, Conventio vero jus ad rem, & conſequenter
Actionem perſonalem per ſuperius allegata producit. Inde 3
pendente conditione pœnitere non poſſe Dominum, ſed omnino teneri
hanc ſuam promiſſionem exiſtente caſu vacantiæ, adimplere, certum
eſt *arg. L. ſicut initio 5. C. de O. & A. l. ſi in lege 9. Colonum ff. Locat.
Berlich. concluſ. 54. num. 57.* Contractus enim ſeu Conventiones initio
ſunt voluntatis, cum ad contrahendum nemo ordinariè cogi poſ-
ſit *l. invitum 11. C. de Contr. Empt.* Poſtea vero, poſtquam ſemel initæ 4
ſunt, neceſſitatis fiunt, ut ab iis invito altero recedere non liceat,
quemadmodum hanc Regulam tractat *Dn. Otto Tabor in Barboſ. Locuplet.
lib. 3. c. 62. axiom 25. Dn Brunnem. Comm. Cod ad d. l. 5. C. de O. & A.*
Ipſa autem perſonalis Actio pro variante conſtitutionis modo cap 2. 5
adducto, admodum variat: Siquidem Negotium, mediante quo
Exſpectativa promittitur, ſuam retinet Naturam, & proinde Actio
ex eo competens erit vel bonæ fidei, vel ſtricti juris: Bonæ fidei erit 6
Actio ex empto, cum per Emptionem nobis acquirimus Exſpectativam
l. Ex empt. 1. ff. d. A. E. Si per Cambium ſeu permutationem,
præſcriptis verbis agendum erit *arg. l. 4. C. de rer. permutat.* Nudo pa- 7
cto quoties promiſſio facta, Condictio ex moribus locum obtinebit

arg. l. 1. ff. de Cond. ex leg. Conſuetudine enim hodie invaluit, ut licita
pacta omnia obligationem inducant & actionem quoque eapropter
pariant *Dn. Brunnem. Parat. Weſenb. lib. 2. Tit. 14. quæſt. 68. B. Dn. Mevi-*
8 *us P. 5. Dec. 408. Carpz. P. 2. Conſt. 19. d. 17. num. 8.* Quid autem ſi legiti-
ma promiſſione Exſpectantia fuerit conſtituta? Nullam hic Actio-
nem proditam fatentur Dd. ſed officium Judicis implorandum eſſe
ſecundum *l. 8. ff. de pollicit.* niſi quis taliter Exſp conceſſerit Xenodo-
chio, Noſocômio, Ptochotrophio, vel aliis piis locis, ſic enim ex lege
Condictionem naſci per *l. ſi quis donaverit 15. C. de SS. Eccleſ. & l. un. ff. de*
9 *Condict. ex leg.* aſſerit *Godofred. Anton. Diſp. Feud. 13. lit. F.* quod de pro-
miſſione non acceptata intelligendum puto. Stricti juris erit actio
ex Stipulatu, quæ datur, ſi Exſpect. per ſtipulationem fuerit promiſ-
10 ſa *arg. l. inter ſtipulantem 83. §. 6. ff. de V. O.* Item Actiones Teſtamen-
tariæ; Per ultimam enim voluntatem quoties Teſtamento relicta
conceſſio, Teſtamentaria Actio directa competit; per Codicillum
vero vel mortis cauſa donationem facta, utilem ex Teſtamento A-
11 ctionem producit *arg. l. hujusmodi 84. §. ult. ff. de Legat. 1.* Quanquam
his caſibus promptiora nonnunquam remedia dentur, veluti benefi-
cium *l. ult. C. de Edict. Div. Adrian. toll* Item Interdictum Quorum
bonorum utile *l. 2. C. Quor. bon.* quod eſt adipiſcendæ poſſeſſionis *l. 1.
in fin. d. t.* & extenditur â Dd. ad Succeſſorem in dignitate & conſe-
quenter ad illum, qui per Exſpectantiam in feudo vel officio ſucce-
dit. *Menoch. remed. adipiſc. poſſ. n. 56. Pet Frid. Mindan. de Interd. p. 2. tit.*
12 *16. num. 82.* Quod ſi poſſeſſionem ſemel fuerit adeptus Exſpectans,
cætera quoque interdicta ipſi competunt; ut Retinendæ, ſi Exſpe-
ctans in ſua poſſeſſione turbetur à Domino, ſic enim interdictum
Uti poſſidetis locum habet *Menoch. remed. 3. ret. poſſ. n. 80. 81. 82. 83. Roſen-
thal. c. 12. Concl. 12. num 38. cap. 7. Concluſ. 51. num. 7. & concluſ. 48. n. 3. lit. C.*
ubi in Camera Imperiali contra Dominum in ſimili fere caſu pronun-
13 ciatum fuiſſe, & adhuc obſervari idem oſtendit. Recuperandæ, ſi vel
à poſſeſſione juſte occupata expellatur; Vel etiam, ſi ſaltem per Con-
ſtitutum poſſeſſorium in eum devoluta Poſſeſſio, quo caſu ſi inſcio
Exſpectante vacuam Dominus poſſeſſionem ingrediatur, vel ſi reſi-
ſtat Exſpectanti poſſeſſione ſuâ vi conſtituti uti volentis pro vere
dejecto habebitur Exſpectans & Interdictio Unde vi vel Canone
Redintegranda *cauſſ. 3. quæſt. 1.* uti non prohibebitur *c. 1. §. ſi v. de milit.
Vaſallo qui contumax eſt 2. F. 22. Menoch. 1. Remed. Recup. poſſ. n. 50. Vult. 2.
F. 1. n. 15.*

Verum

Verum cum non ipse Dominus tantum, sed frequentius ejusdem successores his & similibus Actionibus conveniantur, tangendum tamen erit, An & quatenus successor ex Prædecessoris sui facto obligetur, & Actiones in Prædecessorem intentandas, ipse quoque sustineat; Prolixe satis & accurate Quæstionem hanc deduxerunt, *Dn. Joh. Otto Tabor in Tr. de obl. Success. in offic. Dn. Struv. Synt. J. F. c. 7. th. 9. per integ. Nicol. Myler* ab Ehrenbach *in Nomol. Ordin. Imper. à cap. 10. ad c.* 17. & Feudistarum alii plurimi, quapropter cardinem saltem hic enumerare operæ pretium putavimus, qui in eo est; An succedatur jure hæreditario & causam quis habeat à defuncto; An vero Electivo, sive lege, pacto aut sanguine; Illo casu. quia in jus defuncti succedit, ejusdem factum & Contractum *l. cum à matre 14. C. de R. V.* & sic quoque Exspectativam præstabit successor; Hæres enim venire non potest contra factum defuncti cujus hæreditatem agnovit, quia una quodammodo persona censetur cum defuncto, *Nov. 48. in pr.* Hoc casu vero ad Prædecessoris sui factum minimè obligabitur, quia jus ipsius nõ est à defuncto dependens, & qui causam non habet ab Antecessore, ejus nomine gravari non debet, *arg. l. 22. §. 1 ff. de Adopt.* Unde quid de personis Ecclesiasticis, Exspectativas concedentibus, dicendum sit, apertum est; Prælatus enim successor Antecessoris sui Investituram abusivam ratam habere non tenetur, cum jure Electionis ad officium accedat, ac præsentium tantum rerum, non etiam post mortem Administrationem habeat, *per c. fin. caus. 12. quæst. 1. c. 2. X de donat. 1. F. 3. 2. F. 35 vs. ubi. v. Godofred. Anton. Disp. Feud. 7. th. 1. lit. E. in princ.* licet communes hic limitationes esse soleant, nisi (1) Contractus spectet ad utilitatem Reip. (2.) Nisi res, de qua contractum, modica sit & exigua & (3) Nisi negotium vel Contractus ratione officii sit celebratus; quibus casibus & successores Ecclesiasticarum personarum teneri secundum Dd. expeditum est. *Conf. Theod Reinking. de R. S. & E. lib. 1 class. 3 c 10* Quæ itidem quoque repetenda veniunt in secularibus, jure proprio succedentibus, veluti in Imperio nostro Imperator, qua talis, Antecessoris sui abusivam investituram, feudo Imperii aperto, regulariter adimplere non tenetur; Notus est enim eligendi modus, ad certam licet familiam restrictus, ut sic hæreditario jure ad fastigium Cæsareæ dignitatis non perveniat, adeoque nec defuncti factum præstare obligatus sit; Si tamen sequentia requisita concurrant, Collationem Exspectanti Principi non denegabit; Veluti si fa-

14 (margin, beside line 1); 15 (beside line 5); 16 (beside line 10); 17 (beside line 17); 18 (beside line 20); 19 (beside line 26); 20 (beside line 32); 21 (beside line 36); 22 (beside line 39)

cta Exſpectantiæ conceſſio per modum legitimi contractus; deinde
ut per Anteceſſorem mediante Inveſtitura fuerit conſummata & de-
nique, ut conſciis Electoribus fuerit conceſſa; Horum enim deficien-
te conſenſu, uti nova nulla procedit Infeudatio, ita nec Exſpectan-
23 tiarum conceſſio, ſicuti *cap.3.* fuſius dedimus aſſertum. Quanquam
ſæpius contingat, præprimis in Exſpect feudalibus, ut non modo
Actio nulla ſalva ſit Exſpectanti contra Dominum ſucceſſorem, ſed
ipſe etiam Dominus contraria actione experiatur contra Exſpectan-
tem; Sic ubi Aulo Politici Principis gratiam aucupantes, nimia avi-
ditate Dominum ita conſtrinxerunt, ut etiam non concedenda tri-
24 buerit *l. 1. C. de petit. bonor. ſubl* & ob id Principatum ejus donationibus,
monopoliis, aliisque artibus depeculando, in immenſum Patrimonii
ſui reditus auxerunt, contra eosdem Principem ſucceſſorem, vel eun-
dem Dominum contra hæredes optimo jure repetundarum agere, &
elargita veluti inofficioſe donata revocare poſſe & debere, *ex d. l. & l.
1. ff. ad L. Jul. repetund.* cenſet *Myler. ab Ehrenbach Nomol c. 16. th. 1.*
25 Imo ex Practica legis *Si contendat ff. de Fidejuſſ.* citari faciet Exſpectan-
tem ad audiendam Exceptionem, & niſi veniat, perpetuum ipſi ſi-
lentium imponi *Hering. de Fidejuſſ. c. 25. num. 133.* Æquitas enim hujus
legis generalis eſt, & quamvis conditionalem obligationem qualis
26 Exſpect. eſt, excipiat *Carpz. Juriſp. P. 1. Conſt. 7. def. ult.* tamen cur non
liceat m. conditionalem obligationem retundere; & quæ æquitas eſ-
ſet, ſi ad eventum conditionis qui me mortuo contingere poſſet, me
27 remitterem. *Dn. Brunneman. Comm. ff. ad d. l. 28 de fidejuſſ.* Hinc omnes
ejus modi contractus, promiſſiones & conventiones, quæ conſen-
ſum, juſtitiam & æquitatem Naturalem comites non habent, circum-
ventiones magis ſunt quam Conventiones, *Myler ab Ehrenbach ſup.*
28 *cit. loc.* Et ex hoc capite ſub Carolo IX. Galliæ Rege, Ordines Regni
Gallici, Lutetiæ Pariſiorum Anno 1561 congregati, Gviſios ob ni-
mias donationes à tumulatis Regibus ipſis factas, repetundarum reos
agere decreverunt, *Auth. Hiſt. Gall. Part. 1. lib. 2. Pruckman. de abſolut. pot.
Princ. c. 4. memb. 2. Quæſt. 2. n. 22.*

29 Tenetur E. Dominus ſi ipſo vivo extiterit conditio, eo vero de-
functo, ſucceſſor ſecundum commemorata convenitur; Ad quid? in
promptu eſt; Ut feudum ſcil. præbendam, vel officium tradat, & ſi
tradendi, aut ſolide tradendi facultatem non habeat, intereſſe præ-
30 ſtet. Sic ſæpius evenit, ut Vaſallus poſſeſſor, cum conſenſu Domi-

ni,

ni, debita & onera Feudo imponat, & nimio ante devolutionem de-
trimento afficiat ipsum Exspectantem, Quo casu, si titulo oneroso 31
quæsita fuerit Exspectativa & expresse Feudi, qualitas tempore Con-
cessionis inspectativa & expresse Feud i qualitas tempore Concessio-
nis inspecta, contra Dominum Actionem ad interesse locum habere
notum est per jura vulgata. Alias extra hosce terminos, ne quidem 32
ad interesse Dominum conveniri posse, certum est; Siquidem eam
Exspectantiarum inculcavimus Naturam, ut defuncto demum ul-
timo possessore effectum sortiantur, *1.F.9.Berlich.sup.dict.Conclus.54.*
n.44. Interim E. possessor cum Domini consensu alienare, hypothe- 33
care & similes ejusmodi actus exercere; Exspectans vero neque in-
hibere, neque contra Tertium possessorem agere, multo minus con-
sensum ipsius adhibendum desiderare poterit, cum iis saltem hoc
permissum, qui reale, radicatum & revera quæsitum jus habent, ut
consultam pronuntiasse percepi Celeberrimam hujus Viadrinæ Fa-
cultatem Juridicam *Anno 1669. d.23. Sept.* Interesse autem cum soleat 34
esse incertissimum, merito huc applicamus moderamen, quod Judici
adhibendum svasit Justinianus *in L. un. C. de Sent. quæ pro eo quod interest*
prof. Damnum enim nobis adest, vel lucrum abest aut in casibus cer- 35
tis, aut incertis; Casus certi sunt, ubi species vel quantitas petitur,
atque in his æstimatio ejus quod interest, facienda est ita, ut non ex-
cedat duplum quantitatis vel duplum pretii rei; Secus est in casibus 36
incertis, qui certam aut finitam quantitatem non habent; Ibi enim
arbitrio Judicis permisit Imperator æstimationem, quantum revera
Actoris intersit, etiamsi duplum excedat. *Dn. Brunnem. Comm. Cod. ad*
d.l. Item Parat. Wesenb. lib. 42. tit. 1. quæst. 12. Tradito demum feudo ex 37
venditione, permutatione, Transactione aut alio titulo oneroso, si
evincatur idem, ad Evictionem quoque Dominus Exspectanti tene-
tur; Non igitur si donandi animo ex sola liberalitate processerit Ex- 38
spectativa, siquidem hic revera Donotario nihil abest, cui dum actio
non competit pro facta donatione, neque Evictio, quæ ad actionem
præsupponit, competere potest. Quod tamen solum intelligo de 39
donatione à traditione, non à promissione seu prævia conventione
inchoata; Sic enim noluit sese obligare Donans, sed rem dedit qualis
est arg. *l. 1. C. de Jur. dot. Magnif. Dn. Brunnem. Comm. Cod. d. l.* Minus 40
dubii habet Donatio, quæ fit ob causam, vel quæ est remuneratoria;
In hac enim non immerito Donatario quid abesse dicendum, cum
actio-

41 actionem vel retentionem inter personas jam ante supponat; Et si secundũ nonnullos Dd. nec inde proprie nascitur actio, locus tamen est Extraordinariæ cognitioni Prætoris, cujus officium à Donatario implorandum *Franzk.Comm.ff.lib.21.Tit.2.n.499. & seqq. Dn.Brunnem. Parat.Wesenb.lib.& tit.eod.quæst.3.*

42 Sæpissime autem fieri solet, ut non contra Dominum, sed Extraneos defendere sese necesse habeant Exspectantes; Jus defensionis vero oritur vel ex concessionis prioritate, vel ex ipsa possessione.

43 Nomine prioritatis fundatam contra Adversarios intentionem habent (1.) qui nemine adhuc investito, priorem concessionem impetravit, sic enim potior est causa priori concessione nitentis *arg. l. in o-*
44 *peris 30. ff. Locati Hart. Pist. Illust. quæst. 29. num. 1.* (2.) Qui præter concessionem Exspectativæ simul Investitus est, is enim præferendus nudam concessionem habenti *Roman.Cons.70.* (3) Qui altero quoque investito, prius investitus est, prioris enim causa potior *arg. l. Quo-*
45 *tiens 15.C.de R.V.* (4.) Qui posterius specialiter & nominatim de certo feudo investitus, altero prius & generaliter saltem Investituram acceperit, antequam feudum aperiretur Domino, & quidem non sub instanti mortis ultimi Vasalli, Alias enim fraudulenta judicaretur occupatio, nec quidquam proficeret *JCtissimus Dn. Mev. p.m.De-*
46 *cisionum P.4.Decis.78.79.* Quæ omnia quoque in beneficialibus procedunt; Nam quod Investitura operatur in feudalibus, illud Collatio in beneficialibus; Et sicuti investitura est & dicitur titulus, ita etiam collatio, quæ sine possessione dat jus ad rem, cum possessione jus in re, nec ulla diversitatis ratio afferri poterit *Köppen. Enucleati. ad*
47 *Quæst.Jur.Decad.3 Enucleat.10. num. 10.* Et his casibus interdictum adipiscendæ possessionis intentabunt Exspp. vel implorationem officii Judicis, ut præ aliis jus minus liquidum habentibus in possessionem mittantur *Menoch. remed. adipisc. poss.6.num.34. Dn. Struv. Synt.*
48 *J.F.c.8.th.10.num.5.* Ex ipsâ possessione remedia possessoria contra adversarios fluunt; Aut enim dejiciuntur, turbantur vel alio quovis modo impediuntur, & prodita erunt singulis casibus interdicta,
49 quibus antea ipsum Dominum Convenire posse dicebamus. Possessio autem vel ex jure, vel ex facto resultat; Ex jure est, quando Princeps Concessioni inseruit clausulas, quæ sine traditione Dominium Exsp. assignent, quales sunt, si investitura, statim sine alio facto possessorem eum habendum esse, concepta sit *Jason. in L. Quoties num. 11.*


C. de R.

C. de R. V. B. Mev. de dec. 79. num. 6. Item Constitutum possessiorium. 50
si scil. jus suum, quod in feudum vel beneficium habet conferens, per fictionem brevis manus transferat in Exspectantem, hoc adjecto pacto, ut post vitam ultimi possessoris alio quodam titulo retinere, & nomine ipsius Exsp. possidere velit *l. quod meo 18. ff. de acquir. l. amitt. poss.* Hoc enim Constitutum per actum fictum veram ac realem 51
possessionem tribuit *l. 25. pr. ff. de Usuc. & usurpat. c. 9. X. de restit. spoliat. Tiraquell. d. Jur. Const. poss. part. 2. ampl. 1. num. 6. in fin. verb. in. alia opinio*, & Decretum Manutenentiæ Constitutario dandum suadet *Menoch. remed. recup. poss. 14. n. 25. & 31. Ludov. Post. in Tr. de Manutenent. decis. 28. n. 1. & dec. 390. n. 4.* Facti possessionem vocamus quan- 52
do nulla possessionis facta mentione, propria authoritate feudum vel beneficium vacuum ingreditur Exspectans; Et hoc ex ipsa Conventione cum Principe celebrata licere, & beneficiarium ex simplici confessione non tantum personalem obligationem sed m. jus reale accipere, tradunt Dd. communiter, quorum seriem allegat *Joh.* Köppen. 53
Senior. Consil. posthumo. 3. num. 45. Struv. *Syntagm. J. F. cap. 8. § 10. Hart. Pist. sæpe cit. quæst 25. num. 26.* Verum cum feudum & beneficium aperiatur Domino, non Exspectanti, *(2.)* Jus ad rem, & actio 54
personalis saltem contra Dominum, ad tradendum vel interesse præstandum ex hac conventione nascatur per vulgata. *(3.)* Nulli 55
usui essent Clausulæ possessoriæ, cum beneficiarius simplex prior, ob jus quæsitum, omnibus possessoriis beneficiis munitis præfertur, (4) Ipse quoque Dominus resistere posset; Consultius forte, civilius & rectius quoque statueretur, hanc invadendi facultatem Exspectantibus esse denegandam, præsertim si simpliciter concessa Exspectativa; Ubi enim facultas ingrediendi in specie ipsis indulta, facilior erit Decisio.

Terminum Actionum & nostræ Disputationis terminum po-
nemus: Is autem consideratur vel à Quo, vel ad Quem; Terminus à 56
Quo in Feudalibus est Consolidationis tempus, in beneficialibus Tempus Vacantiæ. Terminus ad Quem in Feudis vel est Tem-
poralis vel perpetuus; Ille, si nuda saltem promissio absque Inve- 57
stitura facta fuerit Exspectanti, sic enim ex qualitate feudi, cujus Investitura intra annum & diem petenda, certo tempore actio manet inclusa. Hic, si Investitura, quamvis abusiva, in ipsa constitutione
[illegible] 58

accesserit, tunc enim ex contractu determinatur, & ex natura negotii constituti quoque durat actio. In beneficialibus semper est perpetuus, nec exspirat actio, nisi termino omnibus actionibus fatali XXX. scil. annis, *l. sicut in rem C. de praescript. 30. vel 40. Annor.*

Tantùm.



F I N I S.

